Henry W. Williams

LIBER PRIMUS,

OR

FIRST BOOK OF LATIN EXERCISES.

BY JOSEPH DANA, A. M.

TO WHICH HAVE BEEN ADDED,

COLLOQUIES FROM ERASMUS;

WITH

A VOCABULARY.

BY CHARLES K. DILLAWAY, A. M.

PRINCIPAL OF THE BOSTON LATIN SCHOOL.

TWELFTH EDITION, REVISED AND CORRECTED.

Published in Boston,

BY J. H. A. FROST, LINCOLN AND EDMANDS, STIMPSON AND CLAPP, MARSH, CAPEN AND LYON, B. B. MUSSEY.: PORTLAND, COLEMAN, HOLDEN AND CO.: NEW-YORK, COLLINS AND HANNAY: TROY, N. Y., WILLIAM S. PARKER: PHILADELPHIA, GRIGG AND ELLIOT: BALTIMORE, CUSHING AND SONS: CINCINNATI, HUBBARD AND EDMANDS.

1833.

PREFACE.

It must ever be a subject of deep regret, that, of the rich and invaluable treasures of Roman literature, so little has descended to us expressly prepared for the use of children, or particularly adapted to lead beginners, by regular and easy steps, to the knowledge of the most useful and most interesting of all the languages of antiquity.

This is an evil which, from its nature, admits of no complete remedy. Hence, amidst the variety of substitutes, which have been introduced into the schools of our country, the choice of suitable elementary books is found to be one of the principal sources of difficulty to the Latin instructer.

A general conviction seems to prevail, that, in the books of this class, the reforming hand is essentially necessary; that the barbarous collocation of words, by which the elegant writings of an Erasmus, and even a Cicero, have been wantonly mutilated, under the pretence of rendering them more simple and easy to the learner, should be for ever banished, and that nothing should be admitted inconsistent with the principles of classical purity.

With the view of contributing something to an improvement so important, this little book has been prepared, and is now respectfully submitted to those whose province it is to decide its merits.

Its object is to present, in a genuine Latin style, sentiments worthy of a place in the minds of youth, as adapted to cultivate the moral sense; to excite, and, in some small measure, to gratify, a laudable

desire for knowledge. To render it so easy as, without a translation, to relieve the instructer from unnecessary labor, a dictionary, or vocabulary, is annexed, of words and difficult phrases, accommodated to the sense in which they are used in this book.

In many respects, its author has found it far from easy to satisfy himself; much less can he expect completely to satisfy the claims of intelligent and experienced instructers. From such, however, he hopes to receive a candid and liberal, as well as a just judgment; for they best know the difficulties inseparable from the undertaking.

To those who wholly object to the use of translations, he takes the liberty to remark, that the first part of this book, to the twenty-third page, is intended to be used, principally, as a series of exercises in parsing, to be made familiar by careful and persevering study, before the pupil be permitted to proceed further. To this part the English has been added, that the parsing may thereby be rendered an object of undivided attention.*

* At the suggestion of several of our most distinguished instructers, the translation has, in this edition, been omitted; the Fables, instead of ending, now begin, the third part; the accents, usual in Latin books, have been adopted; and various alterations are made in the Dictionary, that it may conform, in all respects, to Adam's Latin Grammar

ADVERTISEMENT TO THE THIRTEENTH EDITION.

In adding to this volume a selection from the Colloquies of Erasmus, care has been taken to preserve the writings of that author in all their purity. The style is considered sufficiently easy for beginners, without marring the beauty of it by any transposition or alteration of words. Whenever a dialogue has been thought objectionable, it has not been altered, but omitted. An additional vocabulary has been prepared, which, it is hoped, will be found valuable.

C. K. D.

LIBER PRIMUS.

PARS PRIMA.

The Nominative and the Verb.

Adam, Rule 3.—Smith's N. H. Gram. § 1. Rule 1, 2.

EGO amo.
Tu mones.
Rex regit.
Nos audimus.
Vos videtis.
Pueri ludunt.

Fugit umbra.
Sol lucet.
Fallit imago.
Causa latet.
Frondent sylvæ.
Altaria fumant.

Aquila volabat.
Obstitit formido.
Abiit hora.
Lilia deciderant.
Cicero scripserat.
Aderit tempus.

Sit lux.
Troja staret.
Arbor creverit.
Miles pugnavisset.
Ego risero.
Ceciderint poma.

Surge.
Legito.
Dicite.
Equus currito.
Canes latranto.
Pueri scribunto.

Labitur dies.
Boves immolantur.
Fabula narratur.
Pandebantur portæ.
Tarquinius expulsus est.
Sparsa erant folia.
Præmia dabuntur.

Domus ædificabitur.
Datæ sunt leges.
Amicus inventus esset.
Præeat virtus.
Comitetur voluptas.
Laudator industria.

The Adjective and Substantive.

Adam, R. 2.—Smith, § 1. R. 3.

Vera virtus nobilitat.
Voluptas nocet nimia.
Fugit invida ætas.
Ver erat æternum.
Stellæ inerrantes.
Litera scripta manet.

Anima immortalis est.
Insonuêre cavæ cavernæ.
Brevis est voluptas.
Frigida nox est.
Jucundi acti labores.
Quàm dulcis est libertas!
Nocuit nimia severitas.
Calamitas querula est, et superba felicitas.
Nemus omne virebit.

The Accusative after the Verb.

Adam, R. 18.—Smith, § 4. R. 1, 4.

Nosce teipsum.
Ignis aurum probat.
Terra parit flores.
Ferrum rubigo consumit.
Veritas odium parit.
Celeritatem dat consuetudo.
Omnem pelle moram.

Omnia fert ætas.
Milo Clodium occidit.
Laudamus divitias, sequimur inertiam.
Ulteriora mirantur, præsentia sequuntur.
Materiam superabat opus.
Alexandrum magnum docuit Aristoteles.

Eadem peccat peccata.
Duram servit servitutem.
Humanum sanguinem sitiunt.
Carmina nulla canam.
Omnes volunt beatam vitam vivere.

Verbs having the same Case after as before them

Adam, R. 5.—Smith, § 1. R 10.

Inertia est vitium
Sol est lux mundi.
Senectus ipsa est morbus.

Virtus est sua merces.
Scit nos esse bonos.
Magnum vectigal est parsimonia.

Plumbum aurum fiebat.
Prosperum scelus virtus vocatur.
Tullus Hostilius rex creatus est.

Substantives agreeing in Case.

Adam, R. 1.

Gloria, virtutis umbra.
Alexander Philippi filius.
Omnes suos liberos obsides dedit.

One Substantive governing another Substantive in the Genitive.

Adam, R. 6.—Smith, § 2. R. 4.

Rubor virtutis color est.
Invidia gloriæ comes est.
Nisus erat portæ custos.
Aliorum exempla commonent.
Calamitas virtutis occasio est.
Ubi veteris disciplinæ decus?
Manebat imago reipublicæ.
Vim solis umbræ levant.
Nulla facies mali aberat.

Malorum Ilias impendet.
Omnium rerum principia parva sunt.
Mater artium est necessitas.
Juno erat Jovis et soror et conjux.
Præmii spes solatur.
Magni animi comes est clementia.
Omnia virtutis præmia ambitio possidet.

The Relative.

Adam, R. 57.—Smith, § 1. R 4, 5.

Fortis est qui se vincit.
Nunquam rectè faciet, qui citò credit.
Leve fit, quod bene fertur, onus.
Non sum quem putas.
Nihil est quod non expugnet pertinax opera.
Felix est quem Deus diligit.

The Infinitive Mood.

Adam, R. 3.—Smith, § 1. R. 9.

Nocere facile est, prodesse difficile.
Noscere seipsum maxima sapientia est.
Non dimicare fuit vincere.
Progredi arduum est, regredi periculosum.

Adam, R. 30.—Smith, § 6. R. 5, 6.

Emori cupio.
Tacere nequeo.
Aude contemnere opes.
Amitti virtus non potest.
Pigebat et consistere et progredi.
Vinci quàm vincere maluit.
Ne tentes quod effici non potest.
Sequi gloria non appeti debet.

Adam, R. 4.—Smith, § 6. R. 7.

Te salvum venisse gaudeo.
Nemo se avarum esse intelligit.

Musas ipsas Latinè loqui credas.
Plurimùm proderit pueros salubriter institui.
Aliena vitia quisque reprehendi vult, quàm sua.

Neuter Adjectives.

Adam, R. 8.—Smith, § 2. R. 4.

Quid negotii est?
Quid turbæ est apud forum?
Plus ignominiæ quàm cladis est acceptum.
Plus timor quàm ira celeritatis habet.
Quid novi accidit?
Minus timoris, minus periculi.

Partitives, Comparatives, &c.

Adam, R. 11.—Smith, § 2. R. 7.

Nemo mortalium est felix.
Manuum fortior est dextra.
Optimi mortalium altissima cupiunt.
Theophrastus elegantissimus philosophorum erat.
Quis mortalium non omnino peccat?
Tarquinius, regum Romanorum septimus, in exilium agebatur.

Verbal Adjectives.

Adam, R. 10.—Smith, § 2. R. 5.

Avidus novitatis.
Musicæ peritus.
Avida est periculi virtus.
Nullius flagitii compertus.
Factorum innocens erat.

Adjectives of plenty or want, &c.

Adam, R. 14.—Smith, § 2. R. 6.

Locuples pecuniæ.
Omnium egenus.
Omni laude cumulatus erat.
Vacuus virtute animus.
Nemo est expers beneficiorum cœlestium.
Fecunda virtutum paupertas est.
Nulla ætas vacua periculo erat.
Aureum seculum et oratorum et criminum inops erat.

SUM, *signifying possession, &c.*

Adam, R. 15.—Smith, § 2. R. 11.

Virtutis est vitium effugere.
Bene dicere est oratoris.
Magni animi est injurias despicere.
Est nocentium trepidare.
Hoc sentire, prudentiæ; facere, fortitudinis.

Misereor, &c.

Adam, R. 16.—Smith, § 2. R. 11.

Miserere civium tuorum.
Miserere animi non digna ferentis.
Rerum suarum satagit.

Recordor, &c.

Adam, R. 19.—Smith, § 2. R. 10.

Datæ fidei reminiscitur.
Est stulti aliorum cernere vitia, obliviscí suorum.
Consilii Annibalis serò meminit.
Nihil soles oblivisci nisi injurias.
Est dulce meminisse actos labores.

Verbs of valuing.

Adam, R. 24.—Smith, § 2. R. 9.

Magni æstimabat pecuniam.
Tu me parvi pendis.
Emit tanti quanti voluit.
Parvi pudor penditur.
Non pluris quàm cæteri vendo, etiam minoris.
Meritò te maximi feci

Verbs of accusing, &c.

Adam, R. 23.—Smith, § 2. R. 12.

Centuriones avaritiæ insimulabant.
Qui alterum incusat probri, se ipsum intueri debet.
Eum fraudis damnabat.
Absolvunt eum criminis.
Res adversæ homines religionis admonent.

Impersonal Verbs.

Adam, R. 29.—Smith, § 2. R. 13, 14, 15.

Poëtis mentiri licet.
Aliis si liceat, non licet tibi.
Conducit saluti vivere e naturâ.
Nulli sapere fortuitò accidit.
Non cuivis contigit adire Corinthum.
Interest omnium colere virtutem.
Omnium refert vitium fugere.
Et tua et mea maximè interest.

Ejus me miseret.
Tui non te pudet?
Prorsus vitæ me tædet.
Me civitatis morum piget tædetque.
Hanc maculam nos decet effugere.
Quem pœnitet peccâsse, est pene innocens.
Ne pudeat te fateri nescire quod nescias.

Passive Impersonals.

Ex omnibus locis urbis in forum curritur.
De Italiâ certatur.
Subitò ex insidiis insurgitur.
Ubi semel e recto deerratum est, in præceps pervenitur.

Adjectives signifying profit, &c.

Adam, R. 12.—Smith, § 3. R. 1.

Sylvæ dant utile lignum navigiis pinus.
Miloni utile fuisset Clodium vivere.
Cæsaris victoria erat perniciosa reipublicæ.
Filius patri similis erat.
* Poëtarum quàm oratorum similior oratio erat.
Fortuna tibi semper sit benigna.
Pariter patribus et plebi carus erat.
Invia virtuti nulla est via.
Omni ætati mors est communis.
Vivo omnibus et invisus et infestus.
Non est aptus equis Ithacæ locus.

The person or thing to or for, &c.
Verbs signifying to please, profit, &c.

Adam, R. 17.—Smith, § 3. R. 3, 14.

Patet omnibus veritas.
Surdis narras fabulam.

---

* *Similis* and some other of these adjectives sometimes have the genitive.

Soli sibi cavet.
Imperium non sibi sed patriæ quæsivit.
Nemo sibi soli natus est.
Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ.

Serit arbores agricola, quæ alteri seculo prosint.
An noceat vis ulla bono?
Blandiebatur cœptis fortuna.
Imperare sibi maximum est imperium.
Repugnat voluptas sanitati.
Plùs homines oculis quàm auribus credunt.

Verbs compounded with SATIS, BENE, *and* MALE.

Verbs compounded with AD, ANTE, &c.

Adam, R. 17.—Smith, § 3. R. 6, 7.

Cæteris satisfacio, mihi ipsi nunquam satisfacio.
Pulchrum est benefacere reipublicæ.
Aspirat fortuna labori.
Imminet æquoribus scopulus.
Mors omnibus impendet.
Principiis obsta.
Bona existimatio divitiis præstat.
Ne succumbe malis.

Transitive verbs compounded with AD, ANTE, &c.

Adam, R. 17.—Smith, § 1. R. 4, 5.

Seria jucundis anteferre decet.
Finem labori nox attulit.
Agrum Marti consecravit.
Nunquam te aliis præponito.
Commodo suo publicum bonum postponit.

SUM *and its compounds, &c.*

Adam, R. 17.—Smith, § 3. R. 8, 9.

Suus cuique mos est.
Quid tibi* cum pelago?
Nihil felicitati meæ deest.
Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia.
Præerat classi Claudius Apollinaris.
Præmia soli adsequuntur, qui periculis non fuerunt.

SUM, *for* AFFERO, &c.

Adam, R. 22.—Smith, § 3. R. 10.

Divitiæ multis fuêre exitio.
Exitio est avidis mare nautis.
Pariter iis terrori venerationique erat.

---

* *Erat* understood.

Parvis initiis coorta seditio, prope urbi excidio fuit.

Case Absolute.

Adam, R. 62.—Smith, § 6. R. 4.

Sublatâ causâ, tollitur effectus.
Imperante Augusto, natus est Christus.
Pereunte obsequio, etiam imperium intercidit.

Cause, manner, &c.

Adam, R. 49.—Smith, § 5. R. 1.

Felicitate corrumpimur.
Ventis agitatur pinus.
Plura consilio quàm vi perficiuntur.
Ramus baccarum ubertate incurvescit.
Epicurus hortulos suos philosophiæ fontibus irrigabat.

Time, WHEN, HOW LONG.

Adam, R. 56.—Smith, § 5. R. 7.

Conveniunt frequentes primâ luce.
Luce noctem, nocte lucem expectatis.
Annos decem studuit.

Romulus septem et triginta regnavit annos.
Octoginta annis vixit.

Measure, or distance; excess of measure.

Adam, R. 55.—Smith, § 5. R. 4, 5.

Columnæ erant sexaginta pedes altæ.
Abest ab urbe quinque * millibus passuum.
Turres denis pedibus quàm murus altiores sunt.

Comparative degree.

Adam, R. 61.—Smith, § 5. R. 3.

Quid est irâ ineptius?
Mors est servitute potior.
Solis luce clarius erat.
Nemo est me miserior.
Honesta mors turpi vitâ potior est.
Xenophontis sermo erat melle dulcior.

Place.

Adam, R. 50, 51, 52, 53.—Smith, § 6. R. 1, 2, 3.

Mihi contigit Romæ doceri.
Alexander Babylone mortuus est.
Regulus Carthaginem rediit.

---

* *Mille passuum*, a thousand paces; or, a mile.

Româ Clodius profectus est.
Domi discordia erat.
Rectà domum sumus profecti.
Nuncius ad eum domo venit.

Verbs of plenty and scarceness.

Adam, R. 20.—Smith, § 5. R. 10.

Pomis exuberat annus.
Aureum seculum poëtis abundabat.
Omni culpâ vacat.
Quod caret initio et fine est Deus.
Alter frænis eget, alter calcaribus.
Non tam artis indigent quàm laboris.

Utor, abutor, &c.

Adam, R. 21.—Smith, § 5. R. 12.

Senectus non gladio, sed consilio et ratione utitur.

Pelle moràm; utere viribus totis.

Cùm de antiquis loquaris, utere antiquâ libertate.

Sic præsentibus *fruaris voluptatibus, ut futuris non noceas.

---

* *Fruaris* the subjunctive mood used in the sense of the imperative.

OPUS *and* USUS.

Adam, R. 9.—Smith, § 5. R. 9.

Nil opus est exemplis.
Scuto magìs quàm gladio opus est.
Pauca memoriâ digna evenêre.
In hoc nil est dissidio dignum.
Libertatis umbrâ contenti erant.
Disce parvo esse contentus.

Verbs of asking, teaching, &c.
Verbs of loading, binding, &c.

Adam, R. 26, 27.—Smith, § 5. R. 2, 4.

Pacem te poscimus omnes.
Fortuna belli victos quoque artem docet.
Celabo te hanc rem.
Naves onerant auro.
Implevit mero pateram.
Induit eum stolâ gloriæ.
Viduat urbem civibus.

Participles, Gerunds, Supines

Adam, R. 31.—Smith, § 9. R. 6.

Amans virtutem.
Oblitus rerum suarum.
Veniam petendi nullus locus erit.
Tempore utendum est.

A vitiorum exemplis nobis recedendum est.
Est etiam dolendi voluptas.
Natura dedit ranis crura apta natando.
Radix ejus vescendo est.*
Ad pœnitendum properat, qui citò judicat.
Quod quisque possit, nisi tentando non didicit.
Tempus agendi consultando consumpsit.

Supine in UM.—*Supine in* U.

Adam, R. 37, 38.—Smith, § 7. R. 9, 10.

Fortuna, cùm blanditur, captatum venit.
Patriam defensum revocatus est.
Haud digna memoratu res est.
Cuivis facile scitu est quàm fuerim miser.

Adverbs of time, place, quantity, &c.

DERIVATIVE ADVERBS, &c.

Adam, R. 40, 41.—Smith, § 2. R. 16.

Sapientiæ parum habet.
Parum mellis, absinthii multùm, habere videtur.
Ubinam gentium sumus?
Instar refectionis est mutatio operis.
Obviàm hosti consules eunt.

---

* *Apta* or *utilis* understood.

EXEMPLA MISCELLANEA.

Aristæus olivæ inventor fuisse dicitur.
Verum decus in virtute positum est.
Vitem fertilitas commendat, sapor vinum.
Tardi et indociles sunt sæpius admonendi.
Virtus nihil inexpertum relinquit.
Falsa sub specie veri latent.
Helena causa fuit belli Trojani.
Villarum culmina fumant.

Accipere quàm facere præstat injuriam.
Elephanto belluarum nulla est prudentior.
Tenet quisque locum quem meruit.
Romanis multi fuerunt Alexandro pares.
Vacare culpâ maximum est solatium.
Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt.
Frustrà laborat, qui omnibus placere studet.
Parum tuta majestas sine viribus est.

Sæpe sub pallio sordido sapientia est.
Inter dominum et servum nulla amicitia est.
Magna navis magnam fortitudinem habet.
Eloquentia omnium artium est domina.
Prima navis fuit alnus cavata.
Optimum est pati quod non possis emendare.
Quæ nimis apparent retia vitat avis.
Citiùs venit periculum quod contemnitur.

Omnes antiquæ gentes regibus paruerunt.
Nullus locus nobis dulcior esse debet patriâ.
Rosæ fulgent inter lilia mixtæ.
Scopulum navita vitat. Ossa tegebat humus.

Pudore amisso, omnis virtus ruit.
Sole oriente, fugiunt tenebræ.
Otium omnia mala docet adolescentes.
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Codrus pro patriâ mortuus est.
Deum agnoscimus ex operibus ejus.
Video meliora proboque, deteriora sequor.
Sol in mediâ mundi sede locatur.
Fert Britannia aurum et argentum.
Reipublicæ nihil spei reliquum est.
Quod assequi non potest, sequi desinit.
Desidiâ corpus animusque *corrumpitur.

Nobilis equus umbrâ virgæ quoque regitur;
Ignavus ne calcari quidem concitari potest.
Ferro geruntur bella, non auro.
Omnia breviora * reddet ordo, et modus.
Agricola incurvo terram dimovit aratro.
Incolumitas et decus eodem loco sita sunt.
Omnis virtus in actione consistit.
Quid verbis opus est? Spectemur agendo.

Reluctante naturâ, irritus labor est.
In fugâ salutem sperare, dementia est.
Nunquam eminentia invidiâ carent.
Ignavis precibus fortuna repugnat.
Homines ampliùs oculis quàm auribus credunt.
Non est rectum minori parere majorem.
Præstat nemini imperare quàm alicui servire.
Insignia virtutis multi sine virtute assecuti sunt.

Parva sæpe scintilla contempta magnum excitat incendium.

Pythagoras, cùm in geometriâ quædam novi invenisset, musis bovem immolâsse dicitur.

* The verb here agrees with one of the substantives, and is understood with respect to the others.

Nihil tam absurdè dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum.

Testis corrumpi potest, vel pretio, vel gratiâ, vel metu, vel simultate.

Non rete accipitri tenditur, neque milvio, qui malè faciunt nobis; illis qui nil faciunt tenditur.

Vivere totâ vitâ discendum est, et totâ vitâ discendum est mori.

Apud Pythagoram discipulis quinque annis tacendum erat.

Condita est Carthago septuaginta duobus annis antè quàm Roma.

Thales interrogatus, quid esset Deus? Quod, inquit, caret initio et fine.

Naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus.

Licèt ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.

Rara temporum felicitas est, ubi sentire quæ velis, et quæ sentias dicere, licet.

Augustus cum amicis suis consultabat, utrùm imperium servaret, an deponeret.

Perperam quæritur, num in amici gratiam jus violari possit.

Epimenĭdes puer, æstu et itinere fessus, septem et quinquaginta annos in specu dormivisse dicitur.

Julius Cæsar simul dictare, et legentem audire solebat.

P. Catienus Plotinus patronum adeò dilexit, ut, hæres omnibus ejus bonis institutus, in rogum ejus se conjiceret et concremaretur.

Nullius puto beneficium expetendum esse, cujus vile judicium est.

Senescente lunâ, ostrea tabescere dicuntur, crescente eâdem, gliscunt. Cæpe contrà, lunâ deficiente, revirescere, adolescente, inarescere dicitur.

PARS SECUNDA.

HISTORIÆ SACRÆ.

1.

Deus creavit cœlum et terram intra sex dies.

Primo die fecit lucem. Secundo die fecit firmamentum, quod vocavit cœlum.

Tertio die coëgit aquas in unum locum, et eduxit e terrâ plantas et arbores.

Quarto die fecit solem et lunam et stellas.

Quinto die aves quæ volitant in aëre, et pisces qui natant in aquis.

Sexto die fecit omnia animantia, postremò hominem, et quievit die septimo.

2.

Deus finxit corpus hominis e limo terræ, dedit illi animam viventem, fecit illum ad similitudinem suam, et nominavit illum Adamum.

Deinde immisit soporem in Adamum, et detraxit unam e costis ejus dormientis.

Ex eâ formavit mulierem quam dedit sociam Adamo, sicque instituit matrimonium.

Nomen primæ mulieris fuit Eva.

3.

Deus posuit Adamum et Evam in horto amœnissimo, qui solet appellari Paradisus terrestris.

Ingens fluvius irrigabat hortum: erant ibi omnes arbores jucundæ aspectu, et fructus gustu suaves. Inter eas arbor scientiæ boni et mali.

Deus dixit homini: utere fructibus omnium arborum paradisi, præter fructum arboris scientiæ boni et mali; nam si comedas illum fructum, morieris.

4.

Serpens, qui erat callidissimum omnium animantium, dixit mulieri: cur non comedis fructum istius arboris?

Mulier respondit: Deus id prohibuit. Si tetigerimus illum, moriemur.

Minimè, inquit serpens: non moriemini; sed eritis similes Deo, scientes bonum et malum.

Mulier, decepta his verbis, decerpsit fructum et comedit: deinde obtulit viro, qui pariter comedit.

5.

Adamus, fugiens conspectum Dei, se abscondit. Deus vocavit illum: Adame, Adame.

Qui respondit: timui conspectum tuum, et abscondi me.

Cur times, inquit Deus, nisi quia comedisti fructum vetitum?

Adamus respondit: mulier, quam dedisti mihi sociam, porrexit mihi fructum istum ut ederem.

Dominus dixit mulieri: cur fecisti hoc? Quæ respondit: serpens me decepit.

6.

Dominus dixit serpenti: quia decepisti mulierem, eris odiosus et execratus inter omnia animantia; reptabis super pectus, et comedes terram.

Inimicitiæ erunt inter te et mulierem; ipsa olim conteret caput tuum.

Dixit etiam mulieri: afficiam te multis malis; paries liberos in dolore, et eris in potestate viri.

7.

Deinde Deus dixit Adamo: quia gessisti morem uxori tuæ, habebis terram infestam; ea fundet tibi spinas et carduos.

Quæres ex eâ victum cum multo labore, donec abeas in terram e quâ ortus es.

Tum ejecit Adamum et Evam ex horto ut ille coleret terram, et collocavit angelum, qui præferebat manu gladium igneum ut custodiret aditum paradisi.

8.

Adamus habuit multos liberos, inter quos Caïnus et Abel numerantur: hic fuit pastor; ille agricola.

Uterque obtulit dona Domino: Caïnus quidem fructus terræ; Abel autem oves egregias.

Dona Abelis placuerunt Deo, non autem dona Caïni; quod Caïnus ægrè tulit.

Dominus dixit Caïno: cur invides fratri? si rectè facies, recipies mercedem; sin autem malè, lues pœnam peccati.

9.

Caïnus non paruit Deo monenti: dissimulans iram, dixit fratri suo: age, eamus deambulatum.

Itaque unâ ambo abierunt foras, et quum essent in agro Caïnus irruit in Abelem, et interfecit illum.

Deus dixit Caïno: ubi est tuus frater? Caïnus respondit: nescio; num ego sum custos fratris mei?

10.

Deus dixit Caïno: Caïne, quid fecisti? Sanguis fratris tui, quem ipse fudisti manu tuâ, clamat ad me.

Infesta tibi erit terra, quæ bibit sanguinem Abelis: quum colueris eam longo et duro labore, nullos feret fructus: eris vagus in orbe terrarum.

Caïnus, desperans veniam, fugit.

11.

Postquam numerus hominum crevit, omnia vitia invaluêre. Quare offensus Deus statuit perdere hominum genus diluvio.

Attamen pepercit Noëmo et liberis ejus, quia colebant virtutem.

Noëmus admonitus a Deo exstruxit ingentem arcam in modum navis; linivit eam bitumine, et in eam induxit par unum omnium avium et animantium.

12.

Postquam Noëmus ipse ingressus est arcam cum conjuge, tribus filiis et totidem nuribus, aquæ maris et omnium fontium eruperunt.

Simul pluvia ingens cecidit per quadraginta dies et totidem noctes.

Aqua operuit universam terram, ita ut superaret quindecim cubitis altissimos montes.

Omnia absumpta sunt diluvio: arca autem sublevata aquis fluitabat in alto.

13.

Deus immisit ventum vehementem, et sensim aquæ imminutæ sunt.

Tandem mense undecimo, postquam diluvium cœperat, Noëmus aperuit fenestram arcæ, et emisit corvum, qui non est reversus.

Deinde emisit columbam: quum ea non invenisset locum ubi poneret pedem, reversa est ad Noëmum, qui extendit manum, et intulit eam in arcam.

Columba rursum emissa attulit in ore suo ramum olivæ virentis, quo finis diluvii significabatur.

14.

Noëmus egressus est ex arcâ, postquam ibi inclusus fuerat per annum totum ipse et familia ejus: eduxit secum aves cæteraque animantia.

Tum erexit altare, et obtulit sacrificium Domino. Deus dixit illi: non delebo deinceps genus hominum; ponam arcum meum in nubibus, et erit signum fœderis quod facio vobiscum.

Quum obduxero nubes cœlo, arcus meus apparebit, et recordabor fœderis mei, nec unquam diluvium erit ad perdendum orbem terrarum.

15.

Omnes gentes propagatæ sunt a filiis Noëmi. Semus incoluit Asiam, Chamus Africam, Japhetus Europam.

Pœna diluvii non deterruit homines a vitiis, sed brevì facti sunt pejores quàm prius.

Obliti sunt Dei creatoris : adorabant solem et lunam ; non verebantur parentes ; dicebant mendacium ; faciebant fraudem, furtum, homicidium : uno verbo se contaminabant omnibus flagitiis.

16.

Quidam tamen sancti viri coluerunt veram religionem et virtutem, inter quos fuit Abrahamus e genere Semi.

Dèus fecit fœdus cum illo his verbis : exi e domo paternâ, desere patriam, et pete regionem quam daturus sum posteris tuis.

Augebo te prole numerosâ ; eris pater multarum gentium, ac per te omnes orbis nationes erunt bonis cumulatæ.

Aspice cœlum : dinumera stellas, si potes ; tua progenies eas æquabit numero.

17.

Abrahamus jam senuerat, et Sara ejus uxor erat sterilis.

Quibus tamen Deus promisit, filium ex eis nasciturum.

Habebis, inquit, filium ex Sarâ conjuge tuâ.

Quod audiens Sara risit, nec statim adhibuit fidem promissis Dei, et idcirco reprehensa est a Deo.

Abrahamus autem credidit Deo pollicenti.

Et verò uno pòst anno filius natus est Abrahamo, qui eum vocavit Isaacum.

18.

Postquam Isaacus adolevit, Deus, tentans fidem Abrahami, dixit illi ; Abrahame, tolle filium tuum unicum quem amas, et immola eum mihi in monte quem ostendam tibi.

Abrahamus non dubitavit parere Deo jubenti: imposuit ligna Isaaco, ipse verò portabat ignem et gladium.

Quum iter facerent simul, Isaacus dixit patri: mi pater, ecce ligna et ignis: sed ubinam est hostia immolanda? Cui Abrahamus: Deus, inquit, sibi providebit hostiam, fili mi.

19.

Ubi pervenerunt ambo in locum designatum, Abrahamus exstruxit aram, disposuit ligna, alligavit Isaacum super struem lignorum, deinde arripuit gladium.

Tum Angelus clamavit de cœlo: Abrahame, contine manum tuam: ne noceas puero: jam fides tua mihi perspecta est, quum non peperceris filio tuo unico: et ego favebo tibi; remunerabo splendidè fidem tuam.

Abrahamus respexit, et vidit arietem hærentem cornibus inter vepres, quem immolavit loco filii.

20.

Postea Abrahamus misit servum suum Eliezerem ad cognatos suos qui erant in Mesopotamia, ut inde adduceret uxorem filio suo Isaaco.

Eliezer sumpsit decem camelos domini sui, et profectus est, portans secum munera magnifica, quibus donaret puellam destinatam Isaaco et ejus parentes.

Ubi pervenit in Mesopotamiam, constitit cum camelis prope puteum aquæ ad vesperam, quo tempore mulieres solebant convenire ad hauriendam aquam.

21.

Eliezer oravit Deum his verbis: Domine, Deus Abrahami, fac ut puella, quæ dabit potum mihi petenti, ea sit quam Isaaco destinas.

Ecce statim Rebecca virgo eximiâ pulchritudine prodiit, gerens urnam humeris, quæ descendit ad puteum, et implevit urnam.

Tunc Eliezer progressus obviàm puellæ: da, inquit, potum mihi: cui Rebecca: bibe, ait, domine mi; et simul demisit urnam.

Quum ille bibisset, Rebecca obtulit etiam aquam camelis. Hoc indicio cognovit Eliezer quod scire cupiebat.

22.

Eliezer protulit inaures aureas et armillas, quas dedit Rebeccæ : tum interrogavit illam cujus esset filia, num in domo patris esset locus ad commorandum.

Cui Rebecca respondit : ego sum filia Bathuelis : avus meus est frater Abrahami ; est domi locus ad commorandum amplissimus ; est etiam plurimum fœni et palearum ad usum camelorum.

Quod audiens Eliezer egit gratias Deo, qui tribuisset iter prosperum sibi.

23.

Rebecca properavit domum et narravit matri suæ ea quæ sibi contigerant.

Labanus frater Rebeccæ, quum audivisset sororem narrantem, adivit hominem, qui stabat ad fontem cum camelis, et compellans eum : ingredere, inquit, domine mi : cur stas forìs ? Paravi hospitium tibi et locum camelis.

Dein deduxit eum domum, eique cibum apposuit.

24.

Continuò Eliezer exposuit parentibus Rebeccæ causam itineris suscepti, rogavitque ut annuerent postulationi suæ.

Qui responderunt : ita voluntas Dei fert ; nec possumus Deo obsistere. En Rebecca ; proficiscatur tecum, nuptura Isaaco.

Tum Elièzer deprompsit vasa aurea et argentea, vestesque pretiosas, quas dedit Rebeccæ ; obtulit etiam munera matri ejus et fratri, et inierunt convivium.

25.

Postridie Eliezer surgens manè dixit parentibus Rebeccæ : herus meus me exspectat ; dimittite me, ut redeam ad illum.

Qui responderunt : vocemus puellam, et percontemur ejus sententiam.

Quum Rebecca venisset, sciscitati sunt, an vellet discedere cum homine ? Volo, inquit illa.

Dimiserunt ergo Rebeccam et nutricem illius, precantes ei omnia prospera.

26.

Isaacus fortè tunc deambulabat rure ; vidit camelos venientes. Simul Rebecca, conspicata virum deambulantem, desiluit e camelo, et interrogavit Eliezerem, quis est ille vir ?

Eliezer respondit : ipse est herus meus. Illa statim operuit se pallio.

Eliezer narravit Isaaco omnia quæ fecerat.

Isaacus introduxit Rebeccam in tabernaculum matris suæ, et lenitus est dolor, quem capiebat ex morte matris.

27.

Rebecca edidit uno partu duos filios, Esaüm et Jacobum. Qui prior editus est, pilosus erat ; alter verò, lenis : ille fuit venator strenuus, hic autem placidus et simplex moribus.

Quâdam die, quum Jacobus sibi paravisset pulmentum ex lentibus, venit Esaüs fessus de viâ, et dixit fratri : da mihi hoc pulmentum ; nam redeo rure exanimatus lassitudine.

Cui Jacobus : dabo, si concedas mihi jus primogeniti.

Faciam libenter, inquit Esaüs. Jura ergo, ait Jacobus.

Esaüs juravit et vendidit jus suum.

28.

Isaacus, qui delectabatur venatione, amabat Esaüm, Jacobus verò erat carior Rebeccæ.

Quum Isaacus jam senuisset, et factus esset cæcus, vocavit Esaüm : sumito, inquit, pharetram, arcum et sagittas ; affer mihi et para de venatione pulmentum, ut comedam et apprecer tibi fausta omnia antequam moriar.

Esaüs itaque profectus est venatum.

29.

Rebecca audierat Isaacum loquentem: vocavit Jacobum, et afferto, inquit, mihi duos hædos opimos: conficiam pulmentum, quo pater tuus valdè delectatur; appones ei cibum, et bene precabitur tibi.

Jacobus respondit: ego non ausim id facere, mater: Esaüs est pilosus; ego sum lenis: si pater me attrectaverit, succensebit mihi; ita indignatio patris et damnum mihi evenient pro ejus benevolentiâ.

30.

Rebecca institit: ne timeas, inquit, fili mi. Si quid adversi inde sequatur, id totum sumo mihi: tu verò ne dubites facere quod jussus es.

Itaque Jacobus abiit et attulit matri duos hædos; illa paravit seni cibum quem noverat suavem esse palato ejus.

Deinde induit Jacobum vestibus fratris: aptavit pellem hædi manibus ejus et collo.

Tum, adi, inquit, patrem tuum, et offer illi escam quam appetit.

31.

Jacobus attulit patri suo escam paratam a matre.

Cui Isaacus dixit: quisnam es tu? Jacobus respondit: ego sum Esaüs primogenitus tuus; feci quod jussisti, pater; surge et comede de venatione meâ.

Quomodo, ait Isaacus, potuisti invenire tam citò? Inveni, pater: Deus ita voluit.

Isaacus rursum: tu-ne es Esaüs primogenitus meus? accede propiùs ut attrectem te.

Ille accessit ad patrem, qui dixit: vox quidem est Jacobi, sed manus sunt Esaï.

32.

Isaacus amplexatus Jacobum anteposuit eum fratri, et tribuit illi omnia bona primogeniti.

Non multò pòst Esaüs rediit a venatione, et ipse obtulit patri pulmentum quod paraverat.

Cui Isaacus mirans dixit: quis est ergo ille qui modò attulit mihi cibum, et cui apprecatus sum omnia fausta, tanquam primogenito?

Quod audiens Esaüs edidit magnum clamorem, et implevit domum lamentis.

33.

Esaüs ardens irâ minabatur mortem Jacobo.

Quare Rebecca mater timens dilecto filio suo, fuge, inquit, fili mi; abi ad Labanum avunculum tuum, et commorare apud eum, donec ira fratris tui defervescat.

Jacobus, dimissus a patre et matre, profectus est in Mesopotamiam.

Iter faciens pervenit ad quendam locum, ubi fessus de viâ pernoctavit: supposuit lapidem capiti suo et obdormivit.

34.

Jacobus vidit in somnis scalam, quæ innixa terræ pertinebat ad cœlum, atque angelos Dei ascendentes et descendentes: audivit Dominum dicentem sibi: ego sum Deus patris tui, dabo tibi et posteris tuis terram cui incubas.

Noli timere; ego favebo tibi; ero custos tuus, quocumque perrexeris, et reducam te in patriam, ac per te omnes orbis nationes erunt bonis cumulatæ.

Jacobus expergefactus adoravit Dominum.

35.

Jacobus iter persecutus pervenit in Mesopotamiam: vidit tres pecorum greges propter puteum cubantes.

Nam ex eo puteo greges solebant adaquari. Os putei claudebatur ingenti lapide.

Jacobus accessit illuc, et dixit pastoribus: fratres, unde estis? qui responderunt: ex urbe Haran.

Quos interrogavit iterum, nôstis-ne Labanum? Dixerunt, novimus. Valet-ne? valet, inquiunt: ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo.

36.

Dum Jacobus loqueretur cum pastoribus, Rachel, filia Labani, venit cum pecore paterno: nam ipsa pascebat gregem.

Confestim Jacobus, videns cognatam suam, amovit lapidem ab ore putei. Ego sum, inquit, filius Rebeccæ, et osculatus est eam.

Rachel festinans nunciavit patri suo, qui agnovit filium sororis suæ, deditque ei Rachelem in matrimonium.

37.

Jacobus diu commoratus est apud Labanum: interea mirè auxit rem suam, et factus est dives.

Longo pòst tempore admonitus a Deo rediit in patriam suam.

Extimescebat iram fratris sui: ut placaret animum ejus, præmisit ad eum nuncios, qui offerrent ei munera.

Esaüs mitigatus occurrit obviàm Jacobo advenienti: insiliit in collum ejus, flensque osculatus est eum, nec quidquàm ille nocuit.

38.

Jacobus habuit duodecim filios, inter quos erat Josephus; hunc pater amabat præ cæteris, quia senex genuerat eum. Dederat illi togam textam e filis varii coloris.

Quam ob causam Josephus erat invisus suis fratribus, præsertim postquam narravisset eis duplex somnium, quo futura ejus magnitudo portendebatur.

Oderunt illum tantopere ut non possent cum eo amicè loqui.

39.

Hæc porro erant Josephi somnia. Ligabamus, inquit, simul manipulos in agro: ecce manipulus meus surgebat et stabat rectus; vestri autem manipuli circumstantes venerabantur meum.

Postea vidi in somnis solem, lunam et undecim stellas adorantes me.

Cui fratres responderunt, * quorsum spectant ista omnia? Num tu eris rex noster? Num subjiciemur ditioni tuæ?

Fratres igitur invidebant ei; at pater rem tacitus considerabat.

40.

Quâdam die quum fratres Josephi pascerent greges procul, ipse remanserat domi. Jacobus misit eum ad fratres, ut sciret quomodò se haberent.

Qui, videntes Josephum venientem, consilium ceperunt illius occidendi.

Ecce, inquiebant, somniator venit: occidamus illum et projiciamus in puteum: dicemus patri: fera devoravit Josephum. Tunc apparebit quid sua illi prosint somnia.

41.

Ruben, qui erat natu maximus, deterrebat fratres a tanto scelere.

Nolite, inquiebat, interficere puerum: est enim frater noster: dimittite eum potiùs in hanc foveam.

Habebat in animo liberare Josephum ex eorum manibus, et illum extrahere e foveâ, atque ad patrem reducere.

Reipsâ his verbis deducti sunt ad mitius consilium.

42.

Ubi Josephus pervenit ad fratres suos, detraxerunt ei togam, quâ indutus erat, et detruserunt eum in foveam.

Deinde quum consedissent ad sumendum cibum, conspexerunt mercatores qui petebant Ægyptum cum camelis portantibus varia aromata.

Venit illis in mentem Josephum vendere illis mercatoribus.

Qui emerunt Josephum viginti nummis argenteis, eumque duxerunt in Ægyptum.

---

* *Quorsum spectant*—what mean?

43.

Tunc fratres Josephi tinxerunt togam ejus in sanguine hædi, quem occiderant, et miserunt eam ad patrem cum his verbis: invenimus hanc togam; vide an toga filii tui sit.

Quam quum agnovisset, pater exclamavit: toga filii mei est: fera pessima devoravit Josephum. Deinde scidit vestem, et induit cilicium.

Omnes liberi ejus convenerunt ut lenirent dolorem patris; sed Jacobus noluit accipere consolationem; dixitque: ego descendam mœrens cum filio meo in sepulcrum.

44.

Putiphar Ægyptius emit Josephum a mercatoribus.

Deus autem favit Putiphari causâ Josephi: omnia ei prosperè succedebant.

Quâmobrem Josephus benignè habitus est ab hero, qui præfecit eum domui suæ.

Josephus ergo administrabat rem familiarem Putipharis: omnia fiebant ad nutum ejus, nec Putiphar ullius negotii curam gerebat.

45.

Josephus erat insigni et pulchrâ facie: uxor Putipharis eum pelliciebat ad flagitium.

Josephus autem nolebat assentiri improbæ mulieri.

Quâdam die mulier apprehendit oram pallii ejus; at Josephus reliquit pallium in manibus ejus, et fugit.

Mulier irata inclamavit servos, et Josephum accusavit apud virum, qui nimiùm credulus conjecit Josephum in carcerem.

46.

Erant in eodem carcere duo ministri regis Pharaonis; alter præerat pincernis, alter pistoribus.

Utrique obvenit divinitus somnium eâdem nocte.

Ad quos quum venisset Josephus manè, et animadvertisset eos tristiores solito, interrogavit quænam esset mœstitiæ causa?

Qui responderunt: obvenit nobis somnium, nec quisquam est qui illud nobis interpretetur.

Nonne, inquit Josephus, Dei solius est prænoscere res futuras? Narrate mihi somnia vestra.

47.

Tum prior sic exposuit Josepho somnium suum.

Vidi in quiete vitem in quâ erant tres palmites; ea paulatim protulit gemmas; deinde flores eruperunt, ac denique uvæ maturescebant.

Ego exprimebam uvas in scyphum Pharaonis, eique porrigebam.

Esto bono animo, inquit Josephus, post tres dies Pharao te restituet in gradum pristinum: te rogo ut memineris mei.

48.

Alter quoque narravit somnium suum Josepho: gestabam in capite tria canistra in quibus erant cibi quos pistores solent conficere.

Ecce autem aves circumvolitabant, et cibos illos comedebant. Cui Josephus: hæc est interpretatio istius somnii.

Tria canistra sunt tres dies, quibus elapsis, Pharao te feriet securi, et affiget ad palum, ubi aves pascentur carne tuâ.

49.

Die tertio, qui dies natalis Pharaonis erat, splendidum convivium parandum fuit.

Tunc rex meminit ministrorum suorum, qui erant in carcere.

Restituit præfecto pincernarum munus suum; alterum verò securi percussum suspendit ad palum: Ita res somnium comprobavit.

Tamen præfectus pincernarum oblitus est Josephi, nec illius in se meriti recordatus est.

50.

Post biennium rex ipse habuit somnium.

Videbatur sibi adstare Nilo flumini: et ecce emerge-

bant de flumine septem vaccæ pingues, quæ pascebantur in palude.

Deinde septem aliæ vaccæ macilentæ exierunt ex eodem flumine, quæ devorârunt priores.

Pharao experrectus rursum dormivit, et alterum habuit somnium.

Septem spicæ plenæ enascebantur in uno culmo, aliæque totidem exiles succrescebant, et spicas plenas consumebant.

51.

Ubi illuxit, Pharao perturbatus convocavit omnes conjectores Ægypti, et narravit illis somnium; at nemo poterat illud interpretari.

Tunc præfectus pincernarum dixit regi : confiteor peccatum meum : quum ego et præfectus pistorum essemus in carcere, uterque somniavimus eâdem nocte.

Erat ibi puer Hebræus, qui nobis sapienter interpretatus est somnia; res enim interpretationem comprobavit.

52.

Rex arcessivit Josephum, eique narravit utrumque somnium. Tum Josephus Pharaoni: duplex, inquit, somnium unam atque eandem rem significat.

Septem vaccæ pingues et septem spicæ plenæ sunt septem anni ubertatis mox venturæ.

Septem verò vaccæ macilentæ et septem spicæ exiles sunt totidem anni famis, quæ ubertatem secutura est.

Itaque, rex, præfice toti Ægypto virum sapientem et industrium, qui partem frugum recondat in horreis publicis, servetque diligenter in subsidium famis secuturæ.

53.

Regi placuit consilium; quare dixit Josepho: num quisquam est in Ægypto te sapientior? Nemo certè fungetur meliùs illo munere.

En tibi trado curam regni mei.

Tum detraxit e manu suâ annulum, et Josephi digito inseruit; induit illum veste byssinâ, collo torquem

aureum circumdedit, eumque in curru suo secundum collocavit.

Josephus erat triginta annos natus, quum summam potestatem a rege accepit.

54.

Josephus perlustravit omnes Ægypti regiones, et per septem annos ubertatis congessit maximam frumenti copiam.

Secuta est inopia septem annorum, et in orbe universo fames ingravescebat.

Tunc Ægyptii, quos premebat egestas, adierunt regem, postulantes cibum.

Quos Pharao remittebat ad Josephum.

Hic autem aperuit horrea, et Ægyptiis frumenta vendidit.

55.

Ex aliis quoque regionibus conveniebatur in Ægyptum ad emendam annonam.

Eâdem necessitate compulsus Jacobus misit illuc filios suos.

Itaque profecti sunt fratres Josephi; sed pater retinuit domi natu minimum, qui vocabatur Benjaminus.

Timebat enim ne quid mali ei accideret in itinere.

Benjaminus ex eâdem matre natus erat quâ Josephus, ideoque ei longè carior erat quàm cæteri fratres.

56.

Decem fratres, ubi in conspectum Josephi venerunt, eum proni venerati sunt.

Agnovit eos Josephus, nec ipse est cognitus ab eis.

Noluit indicare statim quis esset, sed eos interrogavit tanquam alienos: unde venistis, et quo consilio?

Qui responderunt: profecti sumus e regione Chanaan ut emamus frumentum.

Non est ita, inquit Josephus; sed venistis huc animo hostili: vultis explorare nostras urbes et loca Ægypti parum munita.

At illi: minimè, inquiunt: nihil mali meditamur,

duodecim fratres sumus; minimus retentus est domi a patre: alius verò non superest.

57.

Illud Josephum angebat quòd Benjaminus cum cæteris non aderat.

Quare dixit eis: experiar an verum dixeritis: maneat unus ex vobis obses apud me, dum adducatur huc frater vester minimus; cæteri abite cum frumento.

Tunc cœperunt inter se dicere: meritò hæc patimur: crudeles fuimus in fratrem nostrum; nunc pœnam hujus sceleris luimus.

Putabant hæc verba non intelligi a Josepho, quia per interpretem cum eis loquebatur.

Ipse autem avertit se parumper et flevit.

58.

Josephus jussit fratrum saccos impleri tritico, et pecuniam, quam attulerant, reponi in ore saccorum; addidit insuper cibaria in viam.

Deinde dimisit eos, præter Simeonem, quem retinuit obsidem.

Itaque profecti sunt fratres Josephi, et, quum venissent ad patrem, narraverunt ei omnia quæ sibi acciderant.

Quum aperuissent saccos, ut effunderent frumenta, mirantes repererunt pecuniam.

59.

Jacobus, ut audivit Benjaminum arcessi a præfecto Ægypti, cum gemitu questus est.

Orbum me liberis fecistis: Josephus mortuus est; Simeon retentus est in Ægypto; Benjaminum vultis abducere.

Hæc omnia mala in me residunt; non dimittam Benjaminum; nam si quid ei adversi acciderit in viâ, non potero ei superstes vivere, sed dolore oppressus moriar.

60.

Postquam consumpti sunt cibi quos attulerant, Jacobus dixit filiis suis; proficiscimini iterum in Ægyptum, ut ematis cibos.

Qui responderunt: non possumus adire præfectum Ægypti sine Benjamino; ipse enim jussit illum ad se adduci.

Cur, inquit pater, mentionem fecistis de fratre vestro minimo?

Ipse, inquiunt, nos interrogavit an pater viveret, an alium fratrem haberemus.

Respondimus ad ea quæ sciscitabatur: non potuimus præscire eum dicturum esse: adducite huc fratrem vestrum.

61.

Tunc Judas, unus e filiis Jacobi, dixit patri: committe mihi puerum: ego illum recipio in fidem meam: ego servabo, ego reducam illum ad te; nisi fecero, hujus rei culpa in me residebit: si voluisses eum statim dimittere, jam secundò huc rediissemus.

Tandem victus pater annuit; quoniam necesse est, inquit, proficiscatur Benjaminus vobiscum, deferte viro munera et duplum pretium, ne fortè errore factum sit ut vobis redderetur prior pecunia.

62.

Nunciatum est Josepho eosdem viros advenisse, et cum eis parvulum fratrem.

Jussit Josephus eos introduci domum, et lautum parari convivium.

Illi porro metuebant ne arguerentur de pecuniâ quam in saccis repererant: quare purgaverunt se apud dispensatorem Josephi.

Jam semel, inquiunt, huc venimus: reversi domum invenimus pretium frumenti in saccis: nescimus quonam casu id factum fuerit: sed eandem pecuniam reportavimus.

Quibus dispensator ait: bono animo estote. Deinde adduxit ad illos Simeonem, qui retentus fuerat.

63.

Deinde Josephus ingressus est in conclave, ubi sui eum fratres expectabant, qui eum venerati sunt offerentes munera.

Josephus eos clementer salutavit, interrogavitque: salvus-ne est senex ille quem vos patrem habetis? Vivitne adhuc?

Qui responderunt; salvus est pater noster, adhuc vivit.

Josephus autem, conjectis in Benjaminum oculis, dixit: iste est frater vester minimus, qui domi remanserat apud patrem?

Et rursus: Deus sit tibi propitius, fili mi; et abiit festinans, quia commotus erat animo, et lacrymæ erumpebant.

64.

Josephus lotâ facie regressus continuit se, et jussit apponi cibos.

Tum distribuit escam unicuique fratrum suorum: sed pars Benjamini erat quintuplo major quàm cæterorum.

Peracto convivio, Josephus dat negotium dispensatori, ut saccos eorum impleat frumento, pecuniam simul reponat, et insuper scyphum suum argenteum in sacco Benjamini recondat.

Ille fecit diligenter quod jussus fuerat.

65.

Fratres Josephi sese in viam dederant, necdum procul ab urbe aberant.

Tunc Josephus vocavit dispensatorem domûs suæ, eique dixit: persequere viros, et quum eos assecutus fueris, illis dicito: quare injuriam pro beneficio rependistis?

Subripuistis scyphum argenteum, quo dominus meus utitur: improbè fecistis.

Dispensator mandata Josephi perfecit; ad eos confestim advolavit; furtum exprobravit; rei indignitatem exposuit.

66.

Fratres Josephi responderunt dispensatori: istud sceleris longè a nobis alienum est; nos, ut tute scis, retulimus bonâ fide pecuniam repertam in saccis:

Tantùm abest ut furati simus scyphum domini tui: apud quem furtum deprehensum fuerit, is morte mulctetur.

Continuò deponunt saccos et aperiunt, quos ille scrutatus invenit scyphum in sacco Benjamini.

67.

Tunc fratres Josephi mœrore oppressi revertuntur in urbem.

Adducti ad Josephum, sese abjecerunt ad pedes llius. Quibus ille: quomodo, inquit, potuistis hoc scelus admittere?

Judas respondit: fateor: res est manifesta; nullam possumus excusationem afferre, nec audemus petere veniam aut sperare: nos omnes erimus servi tui.

Nequaquam, ait Josephus: sed ille, apud quem inventus est scyphus, erit mihi servus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum.

68.

Tunc Judas accedens propiùs ad Josephum: te oro, inquit, Domine mi, ut bonâ cum veniâ me audias.

Pater unicè diligit puerum; nolebat primò eum dimittere; non potui id ab eo impetrare, nisi postquam spopondi eum tutum ab omni periculo fore.

Si redierimus ad patrem sine puero, ille mœrore confectus morietur.

Te oro atque obsecro ut sinas puerum abire, meque pro eo addicas in servitutem: ego pœnam, quâ dignus est, mihi sumo et exsolvam.

69.

Interea Josephus continere se vix poterat: quare jussit Ægyptios adstantes recedere.

Tum flens dixit magnâ voce: ego sum Josephus; vivitne adhuc pater meus?

Non poterant respondere fratres ejus nimio timore perturbati.

Quibus ille amicè : accedite, inquit, ad me: ego sum Josephus frater vester, quem vendidistis mercatoribus euntibus in Ægyptum : nolite timere.

Dei providentiâ id factum est, ut ego saluti vestræ consulerem.

70.

Josephus hæc locutus fratrem suum Benjaminum complexus est, eumque lacrymis conspersit.

Deinde cæteros quoque fratres collacrymans osculatus est. Tum demum illi cum eo fidenter locuti sunt.

Quibus Josephus : ite, inquit, properate ad patrem meum, eique nunciate filium suum vivere, et apud Pharaonem plurimùm posse; persuadete illi ut in Ægyptum cum omni familiâ commigret.

71.

Fama de adventu fratrum Josephi ad aures regis pervenit, qui dedit eis munera perferenda ad patrem cum his mandatis.

Adducite huc patrem vestrum et omnem ejus familiam, nec multùm curate supellectilem vestram, quia omnia, quæ opus erunt vobis, præbiturus sum, et omnes opes Ægypti vestræ erunt.

Misit quoque currus ad vehendum senem, et parvulos, et mulieres.

72.

Fratres Josephi festinantes reversi sunt ad patrem suum, eique nunciaverunt Josephum vivere, et principem esse totius Ægypti.

Ad quem nuncium Jacobus, quasi e gravi somno excitatus obstupuit, nec primùm filiis rem narrantibus fidem adhibebat.

Sed postquam vidit plaustra et dona sibi a Josepho missa, recepit animum, et, mihi satis est, inquit, si vivit adhuc Josephus meus : ibo et videbo eum antequam moriar.

73.

Jacobus, profectus cum filiis et nepotibus, pervenit in Ægyptum, et præmisit Judam ad Josephum, ut eum faceret certiorem de adventu suo.

Confestim Josephus processit obviàm patri, quem ut vidit, in collum ejus insiliit, et flens flentem complexus est.

Tum Jacobus: satis diu vixi, inquit, nunc æquo animo moriar, quoniam conspectu tuo frui mihi licuit, et te mihi superstitem relinquo.

74.

Josephus adiit Pharaonem, eique nunciavit patrem suum advenisse: constituit etiam quinque e fratribus suis coram rege.

Qui eos interrogavit, quidnam operis haberent: illi responderunt se esse pastores.

Tum rex dixit Josepho: Ægyptus in potestate tuâ est; cura ut pater et fratres tui in optimo loco habitent; et si qui sint inter eos navi et industrii, trade eis curam pecorum meorum.

75.

Josephus adduxit quoque patrem suum ad Pharaonem, qui, salutatus a Jacobo, percontatus est ab eo quâ esset ætate?

Jacobus respondit regi: vixi centum et triginta annos, nec adeptus sum senectutem beatam avorum meorum: tum bene precatus regi discessit ab eo.

Josephus autem patrem et fratres suos collocavit in optimâ parte Ægypti, eisque omnium rerum abundantiam suppeditavit.

76.

Jacobus vixit septem et decem annos postquam commigrâsset in Ægyptum.

Ubi sensit mortem sibi imminere, arcessito Josepho, dixit:

Si me amas, jura te id facturum esse quod a te pe-

tam, scilicet ut ne me sepelias in Ægypto, sed corpus meum transferas ex hâc regione, et condas in sepulcro majorum meorum.

Josephus autem : faciam, inquit, quod jubes, pater.

Jura ergo mihi, ait Jacobus, te certò id facturum esse.

Josephus juravit in verba patris.

77.

Josephus adduxit ad patrem duos filios suos, Manassem et Ephraimum: posuit Manassem, qui natu major erat, ad dextram senis, Ephraimum verò minorem ad sinistram ejus.

At Jacobus, decussans manus, dextram imposuit Ephraimo, sinistram autem Manassi, et utrique simul bene precatus est.

Quod Josephus animadvertens ægre tulit, et conatus est manus patris commutare.

At pater restitit, dixitque Josepho: scio, fili mi, scio hunc esse majorem natu, et illum minorem: id prudens feci.

Ita Jacobus Ephraimum Manassi anteposuit.

78.

Ut vidit Josephus extinctum patrem, ruit super eum flens : et osculatus est eum, luxitque illum diu.

Deinde præcepit medicis ut condirent corpus, et ipse cum fratribus multisque Ægyptiis patrem deportavit in regionem Chanaan.

Ibi funus fecerunt cum magno planctu, et sepelierunt corpus in speluncâ, ubi jacebant Abrahamus et Isaacus, reversique sunt in Ægyptum.

79.

Josephus vixit annos centum et decem, quumque esset morti proximus, convocavit fratres suos, et illos admonuit se brevì moriturum esse.

Ego, inquit, jam morior : Deus vos non deseret, sed

erit vobis præsidio, et deducet vos aliquando ex Ægypto in regionem quam patribus nostris promisit: oro vos atque obtestor ut illuc ossa mea deportetis.

Deinde placidè obiit: corpus ejus conditum est, et in feretro positum.

80.

Interea posteri Jacobi, seu Hebræi, numero aucti sunt mirum in modum, et eorum multitudo crescens in dies metum incutiebat Ægyptiis.

Rex novus solio potitus est, qui Josephum non viderat, nec merita ejus recordabatur.

Is igitur, ut Hebræos opprimeret, primùm duris illos laboribus conficiebat; deinde edixit etiam ut parvuli eorum recens nati in flumen projicerentur.

81.

Mulier Hebræa peperit filium, quem, quum videret elegantem, voluit servare.

Quare abscondit eum tribus mensibus, sed quum non posset eum diutius occultare, sumpsit fiscellam scirpeam, quam linivit bitumine ac pice.

Deinde posuit intus infantulum, et exposuit eum inter arundines ripæ fluminis.

Habebat secum unam comitem sororem pueri, quam jussit stare procul, ut eventum rei exploraret.

82.

Mox filia Pharaonis venit ad flumen, ut ablueret corpus. Prospexit fiscellam in arundinibus hærentem, misitque illuc unam e famulabus suis.

Apertâ fiscellâ cernens parvulum vagientem, miserta est illius: iste est, inquit, unus ex infantibus Hebræorum.

Tunc soror pueri accedens: vis-ne, ait, ut arcessam mulierem Hebræam, quæ nutriat parvulum? et vocavit matrem; cui filia Pharaonis puerum alendum dedit, promissâ mercede.

Itaque mater nutrivit puerum, et adultum reddidit

filiæ Pharaonis, quæ illum adoptavit, et nominavit Mosem, id est, servatum ab aquis.

83.

Moses jam senex, jubente Deo, adiit Pharaonem, eique præcepit, nomine Dei, ut dimitteret Hebræos.

Rex impius renuit parere mandatis Dei.

Moses, ut Pharaonis pertinaciam vinceret, multa et stupenda edidit prodigia, quæ vocantur plagæ Ægypti.

Quum nihilominùs Pharao in sententiâ perstaret, Deus interfecit primogenitum ejus filium et omnes primogenitos Ægyptiorum.

Tandem metu victus rex paruit, deditque Hebræis discedendi facultatem.

84.

Profecti sunt Hebræi ex Ægypto ad sexcenta millia virorum, præter parvulos, et promiscuum vulgus.

Illis egredientibus præibat columna nubis interdiu, et columna ignis noctu, quæ esset dux viæ ; nec unquam per quadraginta annos defuit illa columna.

Post paucos dies multitudo Hebræorum pervenit ad litus maris Rubri, ibique castra posuit.

85.

Brevì regem pœnituit quòd tot millia hominum dimisisset, et, collecto ingenti exercitu, eos persecutus est.

Hebræi, quum vidissent ex unâ parte se mari interclusos esse, ex alterâ parte instare Pharaonem cum omnibus copiis, magno timore correpti sunt.

Tunc Deus Mosi : protende, inquit, dextram tuam in mare, et divide aquas, ut illæ Hebræis gradientibus iter siccum præbeant.

86.

Fecit Moses quod jusserat Deus : quum teneret manum extensam super mare, aquæ divisæ sunt, et intumescentes hinc et inde pendebant.

Flavit etiam ventus vehemens, quo exsiccatus est alveus.

Tunc Hebræi ingressi sunt in mare siccum: erat enim aqua tanquam murus a dextrâ eorum et lævâ.

Rex quoque Ægyptius, Hebræos gradientes insecutus, non dubitavit, mare, quâ patebat, ingredi cum universo exercitu.

87.

Quum Ægyptii progrederentur in medio mari, dominus subvertit eorum currus et dejecit equites.

Metu perculsi Ægyptii cœperunt fugere: at Deus dixit Mosi: extende rursus dextram in mare, ut aquæ revertantur in locum suum.

Paruit Moses, et statim aquæ refluentes obruerunt Ægyptios, et eorum currus et equites.

Deletus est universus exercitus Pharaonis in mediis fluctibus; nec unus quidem nuncius tantæ cladis superfuit.

Sic Deus liberavit Hebræos ab injustâ servitute Ægyptiorum.

88.

Hebræi, trajecto mari Rubro, diu peragrârunt vastam solitudinem.

Deerat panis; at Deus ipse eos aluit: e cœlo per annos quadraginta cecidit cibus, quem appellaverunt MANNA.

Inerat huic cibo gustus similæ cum melle mixtæ.

Interdum etiam defuit aqua: at, jubente Deo, Moses percutiebat rupem virgâ, et continuò erumpebant fontes aquæ dulcis.

89.

Mense tertio, postquam Hebræi egressi sunt ex Ægypto, pervenerunt ad montem Sinæ.

Ibi Deus dedit eis legem cum apparatu terrifico.

Cœperunt exaudiri tonitrua, micare fulgura: nubes densa operiebat montem, et clangor buccinæ vehementiùs perstrepebat.

Stabat populus præ metu trepidus ad radices montis fumantis.

Deus autem in monte loquebatur e mediâ nube inter fulgura et tonitrua.

90.

Hæc porro sunt verba quæ protulit Deus : ego sum Dominus, qui eduxi vos e servitute Ægyptiorum.

Non erunt vobis dii alieni : Ego unus Deus et non est alius præter me.

Non usurpabitis nomen Dei vestri temerè et sine causâ.

Sabbato nullum opus facietis ; colite patrem vestrum et matrem vestram : non occidetis, non adulterabitis.

Non facietis furtum : non dicetis falsum testimonium adversus proximum vestrum : non concupiscetis rem alterius.

91.

Moses, a Deo monitus, confici jussit tabernaculum ex pellibus et cortinis pretiosissimis, insuper arcam fœderis auro puro vestitam, in quâ reposuit tabulas legis divinæ.

Quum jam in conspectu haberet terram a Deo promissam, mortuus est vir sapientiâ et cæteris virtutibus planè admirabilis.

Luxit eum populus diebus triginta.

Successit in locum Mosis Josue, quem ipse priùs designaverat.

92.

Ut Hebræi in terram promissam introducerentur, Jordanes erat trajiciendus : nec erat iis navium copia, nec vadum præbebat amnis tunc pleno alveo fluens.

Deus venit eis auxilio : Josue jussit præferri arcam fœderis, et populum sequi.

Appropinquante arcâ, aquæ, quæ supernè defluebant, steterunt instar muri ; quæ autem infrà, descenderunt et alveum siccum reliquerunt.

93.

Hebræi incedebant per arentem alveum, donec ripam oppositam attingerent.

Tum reversæ sunt aquæ in locum pristinum.

Josue verò duodecim lapides e medio amne sublatos erexit, ut essent perenne rei monumentum.

Dixit Hebræis: si quando vos interrogaverint filii vestri quorsum spectet ista lapidum congeries, respondebitis: sicco pede trajecimus Jordanem istum.

Idcirco positi sunt lapides ad sempiternam facti memoriam, ut discant quanta sit Dei potentia.

94.

Josue, devictis omnibus Palæstinæ populis, Hebræos in sede destinatâ collocavit: agros et oppida capta singulis tribubus divisit, et mortuus est.

Deinde summa potestas delata est ad judices, inter quos eminuêre Gedeon, Samson et Samuel.

Varia deinceps fuit Hebræorum fortuna pro variis eorum moribus: ii sæpe in Deum peccaverunt; tunc, divino præsidio destituti, ab hostibus superabantur.

Quoties ad Deum conversi, ejus auxilium imploraverunt, placatus Deus eos liberavit.

95.

Hebræi, a Madianitis vexati, opem a Deo petierunt: Deus illorum preces audivit.

Angelus adstitit Gedeoni: Dominus tecum, inquit, vir fortissime.

Respondit Gedeon: si Deus nobiscum est, cur durâ premimur servitute?

Ait angelus: macte animo; liberabis populum tuum a servitute Madianitarum.

Nolebat primò Gedeon tantum onus suscipere; sed duplici miraculo confirmatus non abnuit.

96.

Gedeon, contracto exercitu, profectus est cum duobus et triginta millibus hominum, et castra castris hostium contulit.

Erat porro infinita multitudo in exercitu Madianitarum: nam cum iis rex Amalecitarum se conjunxerat.

Tamen Deus dixit Gedeoni: non opus est tibi tot millibus hominum; dimissis cæteris, retine tantùm trecentos viros, ne victoriam suæ virtuti tribuant, non potentiæ divinæ.

97.

Gedeon trecentos viros in tres partes divisit, deditque illis tubas et lagenas testaceas, in quibus erant lampades accensæ.

Hi, mediâ nocte ingressi castra hostium, cœperunt tubis clangere, et collidere inter se lagenas.

Madianitæ, audito tubarum sonitu et visis lampadibus, turbati sunt, et turpi fugâ, quo quisque potuit, dilapsi sunt.

Denique gladios in se invicem converterunt, et mutuâ cæde se trucidârunt.

Gedeon hostium reges persecutus est, et comprehensos neci dedit.

98.

Quum Hebræi in potestate essent Philistæorum, et ab illis affligerentur, natus est Samson, futurus ultor hostium.

Hujus mater diu sterilis fuerat, sed ei angelus Domini apparuit, prædixitque eam parituram filium qui cives suos in libertatem aliquando vindicaret.

Enixa puerum, nomen Samsonis ei indidit.

Puer crevit; intonsam habuit comam; nec vinum, nec siceram bibit; incredibili fuit corporis robore; obvium leonem manu interfecit.

99.

Samson adultus Philistæos multis affecit cladibus: cepit trecentas vulpes, quarum caudis accensas lampades alligavit, et in hostium agros immisit.

Tunc fortè messis matura erat: ita facile incendium fuit.

Omnes segetes, vineæ et oleæ, exustæ sunt, nec inimicam gentem variis incommodis vexare destitit.

Traditus Philistæis, rupit vincula, quibus constrictus fuerat, et arreptâ maxillâ asini, hoc telo, quod casus dederat, mille hostium prostravit.

100.

Quâdam die Samson urbem Philistæorum ingressus est, ibique pernoctaturus videbatur.

Philistæi, occasionem captantes, portas obserari jusserunt, ne quis exiret.

Per totam noctem exspectabant silentes, ut Samsonem manè exeuntem interficerent.

At Samson mediâ nocte surrexit, venitque ad portam urbis, quam, quum invenisset clausam, humeris sustulit cum postibus et seris, atque in verticem montis vicini supportavit.

101.

Tandem Philistæi, qui Samsonem comprehendere nequiverant, illius uxorem pecuniâ corruperunt, ut ea virum proderet.

Mulier viro persuasit ut sibi indicaret causam tantæ virtutis; et, ubi rescivit vires ejus in capillis sitas esse, caput dormientis totondit, atque ita eum Philistæis tradidit.

Illi, effossis oculis, vinctum in carcerem conjecerunt, diuque ludibrio habuerunt.

Sed spatio temporis crinis accisus crescere, et cum crine virtus redire, cœpit; jamque Samson conscius recepti roboris justæ ultionis tempus opperiebatur.

102.

Erat Philistæis mos, quum dies festos agerent, producere Samsonem quasi in pompam publicam, captoque insultare.

Die quâdam, quum publicum convivium celebraretur, Samsonem adduci jubent.

Domus, in quâ omnis populus et principes Philistæorum epulabantur, subnixa erat duabus columnis miræ magnitudinis.

Adductus Samson inter columnas statuitur.

Tum ille, occasione utens, columnas concussit, et turba omnis obruta est ruinâ domûs, simulque Samson ipse cum hostibus non inultus occubuit.

103.

Quum Heli esset summus sacerdos, natus est Samuel: hunc adduxit mater ad sacerdotem, et obtulit Domino ut ei in sacrificiis faciendis ministraret.

Puer crescebat, egregiâ præditus indole, eratque Deo et hominibus carus: cui mater sua certis temporibus afferebat parvam tunicam, quam ipsa confecerat.

Heli vero habebat filios perditis moribus, adeò ut populum a colendo Deo abducerent, nec satis graviter eos unquam reprehendit.

Quamobrem Deus erat et liberis et patri iratus.

104.

Quâdam nocte, quum jaceret Heli in lectulo, Dominus vocavit Samuelem, qui, ratus se a sacerdote arcessi, cucurrit, dixitque: en adsum; vocâsti enim me.

At Heli: non te vocavi, inquit, fili mi; revertere in lectulum tuum. Idque iterum et tertiò factum est.

Tandem præmonitus a sacerdote Samuel respondit Deo vocanti: loquere, domine, audit enim servus tuus.

Tum Deus Samueli: ego, ait, afficiam domum Heli iis malis, quæ nemo audire possit, quin ei ambæ aures tinniant, propterea quòd in liberos suos plùs æquo indulgens fuerit, illorumque vitia nimiùm patienter tulerit.

105.

Arctior deinde somnus Samuelem complexus est, qui dormivit usque manè.

Ubi dies illuxit, surgens e lectulo aperuit ostium tabernaculi, uti facere consueverat: timebat autem sacerdoti indicare sermonem Dei.

Heli compellans eum: oro te, inquit, et obtestor, indica mihi ea quæ dixit tibi Deus: cave ne me quidquam celes eorum quæ audivisti.

Jubenti paruit Samuel, illique enarravit omnia verba Domini: cui Heli: Dominus est, ait, faciat quod sibi libuerit.

106.

Paulò pòst bellum exortum est inter Philistæos et Hebræos.

Hebræi arcam fœderis in pugnam deferunt, et cum eâ filii sacerdotis procedunt; sed, quia Deus illis erat offensus, arca detrimento magìs quàm adjumento fuit.

Victi sunt Hebræi, occisi filii sacerdotis, arca ipsa capta est.

Heli, audito tantæ cladis nuncio, e sellâ decidit, et fractâ cervice mortuus est.

107.

Samuel fuit postremus Hebræorum judex, eorumque res in summâ pace et perpetuâ tranquillitate administravit.

At quum senuisset, et filii ejus a moribus paternis desciscerent, populus, novitatis amans, ab illo regem petiit.

Samuel primò rem dissuasit, Hebræosque ab isto consilio dimovere conatus est; sed illi in sententiâ perstiterunt.

Quare admonitus a Deo Samuel annuit eorum postulationi, et Saülem regem consecravit.

Erat Saülis ingens statura et forma excellens, adeò ut dignitas corporis dignitati regiæ pulchrè conveniret.

108.

Philistæi in agrum Hebræorum irruptionem fecerunt.

Quapropter Saül adversus illos processit, et apud Galgala, urbem insignem istius regionis, castra posuit.

Porro Samuel edixerat ut se per septem dies expectarent, neve manum cum hoste priùs consererent, quàm ipse veniens Deo sacrificium faceret.

Die septimo, quum Samuel moraretur, et populus moræ pertæsus dilaberetur, Saül ipse sacrificium fecit loco sacerdotis.

Vix peracto sacrificio, venit Samuel, regemque graviter reprehendit, quòd munus proprium sacerdotum sibi temere arrogavisset.

109.

Saül postea, jubente Deo, bellum Amalecitis intulit. Primò rem bene gessit. Cæsi sunt hostes, et eorum rex captus est.

Sed deinde Saül Deum graviter offendit: vetuerat Deus ne quid ex spoliis hostium reservaretur; Saül verò, Amalecitis cæsis, partem prædæ servavit.

Quam ob causam rejectus est a Deo, et in ejus locum David, adhuc juvenis, e tribu Judæ, electus est, et a Samuele unctus.

110.

Secutum est bellum cum Philistæis: quum duæ acies in conspectu essent, Philistæus quidam, nomine Goliathus, vir miræ magnitudinis, progressus est ante ordines, et unum ex Hebræis sæpe provocabat ad singulare certamen.

Loricâ squamatâ induebatur: ocreas in cruribus æreas habebat; cassis ærea caput ejus operiebat, et clypeus æreus tegebat humeros.

Tum Saül magna præmia, imo et filiæ nuptias, ei promisit qui provocantis spolia retulisset.

At nemo contra illum exire audebat; et Goliathus suam Hebræis ignaviam cum irrisu ac ludibrio exprobrabat.

111.

David, commotus ignominiâ populi sui, se sponte ad pugnandum obtulit.

Itaque adductus est ad Saülem, qui, consideratâ ejus ætate, diffidebat pugnæ.

Non poteris, inquit, adolescentulus cum viro robustissimo pugnare.

Respondit David: ne timeas, o rex, quum pascerem oves patris mei, leo invasit gregem, ovemque corripuit; ego illum persecutus occidi, et ovem e faucibus illius eripui.

Ursum pariter interfeci. Deus, qui me defendit a leone et urso, me quoque a Philistæo isto defendet.

Tum Saül: abi, inquit, cum istâ fiduciâ; Deus te adjuvet.

112.

Saül ipse sua juveni arma voluit accommodare: galeam capiti ejus imposuit, loricâ pectus circumtexit, latus gladio accinxit.

David verò iis impeditus armis, quibus non erat assuetus, vix poterat incedere.

Quare onus incommodum deposuit; sumpsit autem pedum pastorale, quo uti consueverat, et fundam cum quinque lapidibus in sacculo. Sic armatus adversus Philistæum processit.

113.

Accedebat ex adverso Goliathus, qui, viso adolescente: num, inquit, me canem esse putas, qui me cum baculo aggrediaris?

Cui David respondit; tu venis ad me cum gladio et hastâ et clypeo; ego autem venio in nomine Domini exercituum, quem probris ausus es lacessere.

Tunc, misso fundâ lapide, Philistæum in fronte percussit, et humi prostravit, currensque suum jacenti gladium detraxit, quo caput illi præcidit.

Eâ re perculsi Philistæi in fugam versi sunt, et victoriam Hebræis concesserunt.

114.

Redeunti Davidi obviàm itum est. Hebræi gratu-

lantes victorem deducunt ad urbem: ipsæ mulieres domibus egressæ cum tympanis laudes ejus canebant.

Tantus populi favor invidiam Saülis accendit, qui deinceps malevolo fuit in Davidem animo, nec jam eum benignis oculis aspiciebat.

Longè alia fuit mens filii ejus Jonathæ: virtutem Davidis admirans, illum singulari amore complexus est, suoque balteo, arcu, et gladio donavit.

115.

Saül victori filiam suam spoponderat uxorem; at promissis non stetit, novamque conditionem proposuit, si nempe David centum Philistæos interfecisset.

Malo animo id faciebat rex invidus; sperabat scilicet juvenem audacem facilè periturum; at sua eum spes delusit.

Nam David, occisis ducentis Philistæis, redit illæsus, atque ita regis filiam in matrimonium accepit.

116.

David, ut vidit implacabilem esse Saülis in se animum, excessit aulâ, et solitudinem petiit.

Saül illum persecutus est; at, Deo favente, David inimici manus effugit, et ipse Saülis vitam non semel servavit.

Erat in deserto spelunca vasto recessu patens: ibi David cum suis comitibus in interiore parte latebat.

Fortè Saül solus in illam speluncam ingressus est, nec latentes vidit, oppressusque somno quievit.

Sui Davidem comites hortabantur ut opportunam Saülis interficiendi occasionem arriperet; sed David noluit, quum impunè posset, inimicum occidere.

117.

Motum est rursus bellum cum Philistæis; adversus quos Saül cum exercitu processit.

Commissâ pugnâ, Hebræi fusi sunt: tres filii regis in acie ceciderunt.

Saül ipse ex equo delapsus, ne vivus in potestatem

hostium veniret, uni comitum latus transfodiendum præbuit.

Regis mortem omnium Hebræorum fuga consecuta est, et eo die victoriâ insigni potiti sunt Philistæi.

118.

David, auditâ Saülis morte, lacrymas profudit: montes Gelboë, ubi cædes illa facta fuerat, exsecratus est.

Illum, qui a se Saülem occisum esse jactitabat et regia insignia attulerat, perimi jussit, in pœnam violatæ majestatis regiæ.

Civibus urbis Jabes, quòd Saülis ejusque filiorum corpora sepelivissent, gratiam retulit.

Admirandum sanè veri ac sinceri erga inimicum amoris exemplum!

119.

David, postquam solium conscendit, duplex scelus, et quidem gravissimum, commisit.

Adamavit mulierem, nomine Betsaben, eamque ad flagitium compulit.

Mulieris maritus, nomine Urias, vir fortissimus, tum in castris erat, et egregiam patriæ operam navabat.

Hunc David iniquo pugnæ loco hostibus objici jussit, atque ita necandum curavit.

At Deus ad Davidem misit prophetam, qui illum admoneret, eique pœnam sceleris denunciaret subeundam.

120.

Sic Davidem allocutus est propheta: erant in eâdem urbe duo homines: alter dives multos boum, caprarum, atque ovium greges alebat:

Alter verò nihil habebat præter ovem unam, quam ipse emerat, et apud se diligenter nutriebat.

Venit ad hominem divitem hospes quidam; quumque ei parandum esset convivium, dives ille pepercit suis ovibus, et oviculam pauperis vi ereptam hospiti edendam apposuit.

Tuum est, o rex, de hoc facto judicare.

121.

Rex indignans respondit: iniquè fecit, quisquis ille est; pro ove ablatâ, quatuor oves reddet.

Tum propheta apertè: tu, ait, tu es iste vir: te Deus bonis omnibus cumulavit, te regem fecit, te ab irâ Saülis liberavit, tibi regiam domum, regias opes tradidit.

Cur ergo uxorem Uriæ rapuisti? cur virum innoxium, virum tibi militantem, gladio hostium interfecisti?

His prophetæ verbis motus David culpam agnovit et confessus est.

Cui propheta: tibi, inquit, Deus condonat peccatum tuum; attamen filius, qui natus est tibi, morietur.

122.

Paulò pòst infans in gravem morbum incidit; per septem dies David in magno luctu fuit, cibo abstinens et orans.

Die septimo infans mortuus est, nec ausi sunt famuli id regi nunciare.

Quos ut vidit David mussitantes, intellexit, id quod erat, mortuum esse infantem.

Tunc, luctu deposito, jussit sibi apponi cibos, mirantibusque aulicis dixit: ægrotante puerulo, jejunus orabam, sperans scilicet Deum placari posse; nunc autem, quum mortuus sit, cur frustrà lugeam? num potero illum ad vitam revocare?

123.

Ad hunc dolorem alius accessit dolor: Absalon, filius Davidis, paternum regnum affectavit, concitatâ multitudine imperitâ, adversus patrem rebellavit.

Id ubi cognovit David, excessit Hierosolymâ, veritus ne, si ibi remaneret, Absalon cum exercitu veniens urbem regiam obsideret, eamque ferro et igne vastaret.

Quare egressus cum suis qui in officio manebant, conscendit montem olivarum flens, nudis pedibus et operto capite.

124.

Fugienti occurrit vir quidam e genere Saülis, nomine Semei, qui cœpit Davidem ejusque comites maledictis et lapidibus appetere.

Quod illi indignè ferentes volebant ulcisci injuriam, et maledici conviciatoris caput amputare.

At David eos cohibuit: sinite, inquit, istum mihi maledicere; forsitan Deus, his quæ patior malis placatus, mei miserebitur, et rem afflictam restituet.

Incredibilem regis patientiam admirati comites dicto ægrè paruerunt.

125.

Absalon, profecto patre, ingressus est Hierosolymam, ibique aliquandiu moratus est, quæ res saluti fuit Davidi; nam interim David collegit copias, seque ad bellum comparavit.

Jam aderat Absalon cum exercitu, et prælium mox erat committendum; suaserunt regi sui comites ut ne interesset certamini.

Quapropter David Joabum suis copiis præfecit, seque in urbem vicinam contulit.

Abiens autem præcepit Joabo cæterisque ducibus ut Absaloni parcerent, sibique filium incolumem ser varent.

126.

Acriter pugnatum est utrinque; sed, Deo favente, victoria penes Davidem fuit.

Terga verterunt Absalonis milites, e quibus viginti duo millia ceciderunt.

Absalon fugiens mulo insidebat; erat autem promisso et denso capillo:

Dum præcipiti cursu fertur subter densam quercum, coma ejus implicata est ramis, et ipse suspensus adhæsit, mulo interim prætereunte, et cursum pergente.

127.

Vidit quidam pendentem Absalonem, nec ausus est

illi manus violentas inferre, sed nunciavit Joabo, qui eum increpans, debueras, inquit, juvenem impium confodere.

Atqui, respondit ille, me præsente, rex præcepit tibi ut filio suo parceres.

Ego verò non parcam, ait Joabus, et statim sumpsit tres lanceas, quas in pectus Absalonis defixit.

Quum Absalon adhuc palpitaret hærens in quercu, armigeri Joabi repetitis ictibus confossum interemerunt.

128.

Stabat interea David ad portam urbis, expectans eventum pugnæ, et maximè de filii salute solicitus.

Quum illi nunciatum esset profligatos hostes et interfectum esse Absalonem, non modò non lætatus est de victoriâ quam reportaverat, sed maximum quoque dolorem cepit ex morte filii.

Inambulabat in cœnaculo mœrens, et in has voces identidem erumpens: fili mi Absalon, Absalon fili mi! utinam pro te morirer, Absalon fili mi, fili mi Absalon!

129.

Multa deinceps bella David prosperè gessit contra Philistæos, rebusque forìs et domi compositis, reliquum vitæ tempus in florenti pace exegit.

Quum esset extremâ senectute et infirmâ valetudine, Salomonem hæredem regni constituit.

Is, a summo sacerdote unctus, vivo adhuc patre, rex appellatus est.

David, postquam filio dedisset præcepta regno administrando utilissima, diem supremum obiit.

130.

Diligebat Deus Salomonem: ei per quietem adstare visus est, deditque optionem eligendi quidquid vellet.

Salomon non aliud sibi dari poposcit, quàm sapientiam, reliqua omnia parvi æstimans.

Quæ res ita Deo placuit, ut illi plùs tribuerit quàm rogatus fuerat; nam Salomoni eximiam sapientiam im-

pertivit, et insupèr divitias et gloriam, quas non petierat, addidit.

131.

Salomon templum immensi operis Hierosolymæ ædificavit: omnia auro, argento, gemmisque in eo fulgebant.

In hoc templo arca fœderis collocata est.

Vicini reges ob tantam sapientiæ famam cum Salomone amicitiam junxerunt, fœdusque fecerunt.

Regina Sabæ ejus visendi cupida finibus regni sui excessit, venitque Hierosolymam.

Regnabat Salomon in summâ pace, opibus et deliciis affluens.

132.

Postea Salomon voluptati se dedit: nihil porro tam inimicum est virtuti quàm voluptas; itaque amisit sapientiam.

Mulieres exteræ, quas adamavit, eum jam senem ad ritus gentiles pertraxerunt.

Quibus rebus offensus Deus pœnam illi denunciavit, scilicet fore ut regnum majore ex parte filio ejus adimeretur et servo traderetur, atque ita factum est.

133.

Salomoni Roboamus filius successit: is imperium culpâ paternâ jam nutans stultitiâ suâ evertit.

Salomon populo vectigal gravissimum imposuerat; quod onus quum populus tolerare non posset, illud poposcit imminui.

Regem monebant senes ut populo satisfaceret, juvenes verò dissuadebant.

Roboamus, æqualium consilio usus, populo acerbè respondit, ejusque postulationem rejecit.

134.

Exorta est seditio: decem tribus a Roboamo defe-

cerunt, regemque sibi creaverunt Jeroboamum e tribu Ephraimi. Duæ tantùm tribus in fide manserunt, scilicet tribus Judæ et tribus Benjamini.

Sic duo ex uno regna facta sunt, alterum Judæ, alterum Israëlis.

Jeroboamus, ut populum suum a consuetudine eundi Hierosolymam abduceret, propriam religionem eis instituit, et falsos deos proposuit colendos.

135.

Non diu stetit regnum Israëliticum, quia omnes ad unum reges fuerunt impii.

Ad eos Deus sæpe misit prophetas, qui eos admonerent, et ad verum cultum revocarent; sed illi prophetarum monitis non paruerunt, imo eos contumeliis, pœnis, morte, affecerunt.

Quare iratus Deus illos in potestatem hostium tradidit: devicti sunt a rege Assyriorum, qui decem tribus captivas fecit, et in Assyriam deportavit.

PARS TERTIA.

FABULÆ.

1.

VULPES ET LEO.

Vulpes, quæ nunquam leonem viderat, quum huic fortè occurrisset, ita fertur exterrita, ut pene moreretur formidine; eundem conspicata iterum, extimuit quidem, sed nequaquam ut antea: tertiò illi obviàm facta, tam firmo animo fuit, ut accedere propiùs, et compellare illum auderet.

2.

ANSERES ET GRUES.

In eodem prato pascebantur ansères et grues. Adveniente aucupe, grues, levitate suâ adjuti, facilè avolant: anseres autem, impediti gravitate, dum moliuntur fugam, ab aucupe prehenduntur.

3.

ASINUS ET VULPES.

Asinus, indutus leonis pelle, superbè obambulabat, et reliquas bestias territabat. Huic obviàm facta vulpecula, quæ fortè illius vocem audiverat: Etiam te ego, inquit, metuerem, nisi te rudere solere scirem.

4.

APER ET VULPES.

Videns vulpecula ad truncum roboris acuentem dentes aprum interrogat illum, quo consilio id faciat, cùm nulla urgeat necessitas, neque bellum instet.

Cui aper respondit, sibi periculum si fortè adeundum sit, non otium tum futurum ad acuendos dentes: ergo se rectè, dum concedatur, tempus, ad eventum pugnæ præparare.

5.

NUX.

Nux, secundum viam sata, plurimum ferebat fructûs: cùm autem a populo prætereunte saxis et fustibus impeteretur, ut juglandes decidentes carperent; Me infelicem, exclamabat, cui gratias tam acerbas referunt ob fructus jucundos quos ex me percipiunt.

6.

ASINUS ET CICADÆ.

Asinus, cùm cicadas canentes audivisset, et concentûs suavitatem miratus esset, interrogabat eas, Quo victu uterentur, ut vocem adeò dulcem claramque emitterent. Cùmque illæ responderent, se rore vesci; asinus, dum aberrat, expectans rorem qui noctibus fit, fame interiit.

7.

CANCER ET MATER EJUS.

Cancri mater parvulo suo dicebat; Mi nate, cur obliquos intorques gressus, cùm rectâ incedere debes? Faciam, inquit ille, mea mater, si te idem facientem priùs videro. Illâ autem frustrà id conante, ejus amentiam redarguebat filius.

8.

CANIS IN PRÆSEPI.

Frendens canis dentibus, et allatrans in præsepi jacebat, a quo equi terrebantur neque admittebantur ad pabula.

Cui unus, Quanta ista, inquit, invidia est, te non pati ut eo cibo vescamur, quem capere nec velis nec possis.

9.

ARUNDO ET OLEA.

Disceptabant de fortitudine olea et arundo: cùm autem olea arundini exprobravit mobilitatem, et quòd ad quamvis illa exiguam auram tremeret, tacuit arundo.

Non ita diu pòst, ingruentibus ventis, olea eruta fuit; arundo autem submissione suâ integritatem servavit.

10.

ASINUS ET LEONINA PELLIS.

Asinus, leonis exuviis indutus, pro leone ab omnibus habebatur; atque homines pariter et greges territabat tanquam leo esset.

Fortè autem a vento vehementiùs spirante detracta est ei pellis leonina; quâ nudatus facilè dignoscebatur esse asinus; unde factum est ut omnes accurrerent, et fustibus et baculis eum acciperent, donec illis satis pœnarum petulantiæ suæ dedisset.

11.

ROSA ET AMARANTHUS.

Juxta rosam enatus fuerat amaranthus: hanc ergo ille admiratur et beatam prædicat, quæ aspectu adeò pulchra esset, hominibusque pariter ac diis honorata, non minùs ob odorem quàm formam.

Cui illa; Ego quidem, O amaranthe, ad breve tempus floreo vivoque; et licèt me nemo decerpet, mea tamen species decora citò interit: tuæ verò venustatis elegantia perennis semperque eadem.

12.

LEO ET RANA.

Leo, auditis ranæ clamoribus, primùm animo valdè perculsus est, quòd crederet ingentem animantem auctorem esse tanti clamoris.

Animo sensim firmato, circumspicere,* et contra illum clamatorem, quisquis esset, sese parare,* et ad pugnam accingere.*

Cùm autem videt prorepentem ranam de propinquo lacu, ibi leo, simul indignatione simul etiam pudore affectus, pede illam conculcatam attrivit.

13.

FORMICA ET COLUMBA.

Formica sitiens in fontem se demiserat, sed undis ablata veniebat jam in periculum ne suffocaretur.

Hoc columba cernens, de arbore detractum ramum in aquas abjecit, cui adhærescens formica mortem evasit.

Paulò pòst affuit auceps, et arundinibus dispositis columbæ insidiari cœpit; cui metuens formica ad aucupem arrepsit, et ita vehementer illum pupugit, ut arundines præ dolore abjiceret; atque harum strepitu territa columba avolavit, ac periculum vitavit.

14.

CARBONARIUS ET FULLO.

Conduxerat perquàm spatiosas ædes carbonarius; itaque invitat fullonem, angustiùs habitantem, uti ad se commigret.

Negavit fullo sibi hoc faciendum; Quid enim commercii, inquit, inter nos esse posset, cùm, quæ ego fortè eluendo nitida reddidissem, ea tu fuligine et maculis repleres.

15.

PISCATORES.

Cùm piscatores, diu multùmque defatigati, nihil capere potuissent, perditâ operâ, tristes domum redire parant.

Tum de improviso thynnus, ab aliis piscibus persecutus, saltu in navigium illorum se dedit; quo potiti cum prædâ et lætitiâ abiêre.

* These words are used in the sense of the imperfect indicative viz. *circumspiciebat, parabat, accingebat.*

16.

RANÆ.

Incòlebant ranunculi duo paludem : quâ per æstatem exsiccatâ, relictis sedibus illis, pergebant quæsitum alias, cùmque venissent ad profundum puteum; Hìc, inquit unus, commodè manebimus, neque facilè alium locum meliorem invenire poterimus.

Cui respondit alter, Placere et sibi locum, sed arbitrari se, priusquàm illò desilirent, considerandum, si quo casu et illæ aquæ recessissent, quâ ratione de puteo redituri essent.

17.

LEO ET ONAGER.

Leo et onager venatum ibant; ille equidem viribus fretus; hic verò pedum velocitate. Partâ autem magnâ prædâ, leoni placuit illam dividere, et in tres partes dispertire.

Quo facto, leo, ut ferunt, ita locutus est : Hanc quidem capiam ex dignitate meâ, utpote ferarum rex, alteram verò ex justâ divisione; at tertia magnum in damnum tibi cedet, ni, eâ relictâ, aufugias.

18.

PUER MENDAX.

Puer, custos ovium, quasi lupum advenientem vidisset, opem rusticorum implorabat, clamans, Heus! adeste; mihi a lupo succurrite.

Rustici pleno gradu ad puerum accurrunt; lupoque nusquam apparente, ad opera sua redeunt.

Cumque aliquoties per lusum idem fecisset puer, et eos decepisset, qui auxilium illaturi advenerant; tandem, lupo irruente, miserabili voce orabat, ut subveniretur sibi et gregi.

Qui verò audiebant, ludere illum pariter ac antè arbitrati, preces et plorationes vani pueri neglexerunt.

19.

CORVUS ET MERCURIUS.

Corvus, laqueo captus, Apollini ut opem ferret supplicat, thura et odores illi incendere pollicitus. Periculo liberatus, ejus quod promiserat oblitus est.

Rursus alio irretitus laqueo, Apolline præterito, Mercurium invocavit, spondens ei sacra facturum. Cui ille, Apagete, omnium nequissime; non est quòd tibi fidem habeam, qui prioribus non stetisti promissis, et Apollini liberatori debitum nondum solvisti.

20.

COCHLEA.

Canis, cùm fortè cochleam offendisset, ovum esse ratus, magno oris hiatu avidissimè eam devoravit. Iliis autem graviter dolentibus, exclamabat, Ah! meritas luo stultitiæ pœnas, qui omnia rotunda credidi esse ova.

21.

CULEX ET BOS.

Culex, in cornu bovis insidens, canensque, illum interrogabat, numquid avolare se vellet, ut qui forsan collum deprimeret. Nihil, inquit, interest mea, utrùm maneres an avolares; ut enim non sensi accessionem tuam, ita ne discessionem quidem sensero.

22.

HIRCUS ET VITIS.

Cùm vitis pampinos ederet, eos arrodebat hircus: quod dum faceret, ita eum increpat vitis.

Cur tu mea folia carpis? nonne satis supèrque herbarum?

Cùm autem vitem depascere pergeret hircus; Quantùm potest, inquit vitis, mihi noceto: ego tamen vini tantum tulero, quantum, te mactato, ad libandum diis satis fuerit.

23.

OLEA ET FICUS.

Juxta oleam enata fuerat ficus. Hanc illa despicere* atque irridere,* quòd cùm ipsa viriditate perenni gauderet, illi tum folia deciderent.

Nix autem, eâ tempestate delapsa, oleæ ramis tam densa insidebat, ut ipsa unâ cum pulchritudine suâ interiit: hanc verò, quam nudatam foliis invenit, præteribat, et in terram defluens nihil ei nocebat.

24.

APES ET PASTOR.

Apes in cavâ quercu mel faciebant, Pastor verò in eas, operi intentas, fortè incidit; idque sedulò agebat, ut favos auferret: quod cùm sensissent apes, furore percitæ hinc et illinc circumvolant, suisque hostem abigunt aculeis.

Ille tamen victus, Valete, inquit, O feroculæ, æternùm valete; non adeò mel desidero, ut a vobis illud accipiam.

25.

DUÆ MANTICÆ.

Unusquisque nostrûm duas gestat manticas, alteram ante pectus, alteram a tergo; utramque vitiorum plenam: aliorum quidem anteriorem, propriorum verò posteriorem.

Propterea homines sua vitia omnino non vident, aliena verò perspicacissimè.

26.

CASSITA.

Cassita dum escam appetit, irretita laqueo, deplorans fortunam suam, Me miseram et infelicem, inquit, volucrem: non ego aliis aurum subduxi; non argentum rapui; nihil invasi rei ullius pretiosæ: parvulum verò tritici granum mortem mihi attulit.

---

* *Despiciebat, irridebat.*

27.

CERVUS.

Cervus, altero oculo captus, juxta mare pasci consueverat, ita ut integrum oculum in terram haberet versum: nihil enim periculi videbatur e mari impendere.

Cùm autem fortè navis præterveheretur, qui in illâ erant, directâ in cervum sagittâ, incautum confixêre.

Ille ictus; Me miserum, inquit, quantopere deceptus fui, qui a terrâ metui, undis fretus, e quibus mihi mors immittitur.

28.

MUSCÆ.

Ad mel profusum in cellâ quâdam advolantes muscæ, illius dulcissimo succo jucundissimè pascebantur. Sed jam saturæ, cùm avolare vellent, pedibus nitentibus, etiam alis in tenace liquore hærentibus: morituræ, O miseræ, inquiunt, quantillus nobis cibus interitum attulit.

29.

TESTUDO.

Cùm Jupiter Junonem duxisset, invitâsse ad nuptiale convivium omnes animantes traditur. Quæ cùm tempestivè advenissent, sola cessavit testudo: de quâ cùm causam moræ sciscitaretur, respondit illa, suam cuique domum gratissimam esse.

Itaque iratus Jupiter hâc eam pœnâ affecit, ut affixam perpetuò sibi domum suam gestare cogeretur.

30.

LUPUS ET OVIS.

Qui evaserat canes saucius lupus, cùm sine viribus in terrâ jaceret, a prætereunte ove petiit de profluente rivulo sibi potum ut afferret: Ego facilè, inquit, tum cibum invenero.

Ovis, astutiâ intellectâ, Si ego potum attulero, inquit, me scilicet pro cibo usurus sit.

31.

EQUUS ET ASINUS.

Deficiente in itinere asino, et petente ab equo, ut aliquâ parte oneris se levaret, si se vivum aspicere vellet, aspernatus est equus preces illius. Paulò igitur pòst, fatigatione exhaustus asinus in viâ corruit, et efflavit animam.

Tum agitator omnes sarcinas, quas asinus portaverat, atque insuper etiam pellem, asino detractam, in equum imposuit.

32.

LEO ET VULPES.

Leo, senio confectus, cùm vires non suppeterent, callidum tamen cepit consilium sustentandi vitam. Itaque in antro, quasi morbo correptus, decumbens, animantes, quæ ad ipsum visendum passim advenirent, prehensas devorabat.

Ita magnâ bestiarum multitudine a leone absumptâ, accedit tandem et vulpecula ad antrum, et præ ostio subsistit, hæsitans atque circumspectans.

Tum leo, Quid cesset, cur non adeat ad se, rogat. Cui illa: Quia vestigia adversum te spectantia multa video, retrorsum nulla.

33.

ASTROLOGUS.

Astrologi cujusdam mos erat de nocte domo exire, ut cœlum stellasque contemplaretur. Aliquando autem, totus cœlo intentus, in fossam, quam ante pedes sitam non viderat, incidit.

Tum alius, per eandem viam iter faciens, cùm de gemitu illius, quod acciderat, cognovisset; Optime, inquit, tu, qui os in cœlum erigebas, terram pedibus subjectam potiùs intueri debueras.

34.

ABIES ET RUBUS.

Abies rubum despiciens ei exprobrabat, quòd nulli esset usui, cùm ipsa tectis et domibus extruendis inserviret.

Cui ille, Nisi tibi, O misella, e memoriâ excidissent securis et serra, quæ te exsciderunt, malles sanè rubus esse quàm abies.

35.

LIGNATORES ET QUERCUS.

Cùm fortè lignatores quercum diffinderent cuneis ex eâ factis, illis dicebat: Non me tam malè habet,* quòd securis ictibus humi prostrata jaceam, quàm quòd cuneis istis lacerari mihi contigit.

36.

MURES ET FELES.

Muribus bellum erat adversus feles. Perpetuò autem victi mures in eam ibant sententiam, se a felibus ideò superatos esse, quòd nullius regerentur imperio.

Communi itaque consensu duces sibi delegerunt; qui, ut conspectiores fierent cæteris, cornua sibi adaptârunt. Non multò autem pòst pugna commissa est: mures iterum victi cessêre; et fugâ dilapsi facilè in latebras se receperunt. At ducibus obstitit cornuum magnitudo: capti itaque miserè dilacerantur.

37.

LUPUS.†

Lupus, cùm videret se fluminis imperium tenere, superbiâ elatus in mare enatavit: sed ibi territus aspectu delphini regis marini, celeriter in suum amnem rediit.

---

* *Non me tam malè habet;* I am not so much afflicted. † The pike.

38.

LEO ET MUSCULUS.

Mus a leone captus deprecatur vitam suam: gratiasque maximas se ei habiturum pollicetur. Leo, etsi commotus, ignovit tamen musculo, et illum inviolatum dimisit.

Paulò pòst, incautiùs prædam vestigans, in laqueos incidit, quibus astrictus rugitum maximum edidit: ad quem procurrens musculus, cernensque in vinculis eum, qui sibi nuper vitam petenti concessisset, accedit ad laqueos, illisque corrosis, cùm leonem omni periculo liberavisset;

Tibi, inquit, ludibrio eram, ut qui nullum alicui vicissim beneficium præstare possem; nunc scias velim, posse et murem gratiam referre.

39.

MULIER ET GALLINA.

Mulier quædam habebat gallinam, quæ ei quotidie ovum pariebat aureum. Hinc suspicari cœpit, illam auri massam intus celare, et gallinam occīdit. Sed nihil in eâ repĕrit, nisi quod in aliis gallinis reperiri solet. Itaque dum majoribus divitiis inhiabat, etiam minores perdidit.

40.

HINNULEUS ET CERVUS.

Hinnuleus quondam patrem suum his verbis interrogâsse dicitur: Mi pater, quum multò sis major canibus et tam ardua cornua habeas, quibus a te vim propulsare possis, quî fit, ut canes tantopere metuas? Ibi cervus ridens, Mi nate, inquit, vera memoras; mihi tamen, nescio quo pacto, semper accidit, ut auditâ canum voce, in fugam statim convertar.

Hæc fabula docet, naturâ formidolosos nullis rationibus fortes reddi posse.

PARS QUARTA.

PROMISCUOUS SENTENCES.

1.

Doctrina et virtus tutissimæ sunt divitiæ.

In secundis rebus nemo confidat. Malè vivunt qui semper vivere incipiunt.

Initium est salutis notitia peccati. Qui peccare se nescit corrigi non vult.

Vitia sua confiteri sanitatis indicium est.

Pars virtutis disciplinâ constat, pars exercitatione.

Securitatis magna pars est nihil iniqui facere.

Magni animi proprium est injurias et offensiones despicere.

2.

Fortuna vitrea est; cùm splendet, frangitur.

Quisque ad virtutem accessit, dedit generosæ indolis spem.

Solem subinde nebulæ, rationem affectus obtenebrant.

Nihil boni otio et ignaviâ paratur.

Hoc scito, nullam simulationem diu latere posse.

Infelicior est injuriam qui facit, quàm qui sustinet.

Ab alio, quàm a seipso, laudari præstat.

Dei auspiciis universus cœli ordo regitur.

3.

Ex vitio alieno sapiens emendat suum.

Exemplum est tacita quædam admonitio.

Infra lunam nihil est nisi mortale et caducum.

Quid quoque die egeris vesperi commemora.

Natura nobis dedit diversorium commorandi, non habitandi.

Nunquam satis laudari potest philosophia.

Non viribus aut velocitate corporum res magnæ geruntur.

Magna pars hominum est, quæ non peccatis irascitur, sed peccantibus.

4.

Non convalescit planta quæ sæpe transfertur.

Ille beatus est qui crastinum diem sine solicitatione expectat.

Id bonum pùta quod vetustate fit melius.

Pauci quàm bene vivunt, sed quamdiu, curant.

Respice in alieno exitio quid pavescas.

Evita foveam in quam alium cecidisse vides.

Discipulus est prioris posterior dies.

Optimum est majorum sequi vestigia, si rectè præcesserint.

5.

Nulli mortalium imitabilis est araneæ textura.

Stellæ die latent et solis fulgore obumbrantur.

Atlas cœlum suis humeris gestare dicitur.

Autumnus speciosam varietatem ob oculos disponit.

Arcades res divinas primi diis fecerunt.

Euphrates ex Armeniâ in Sinum Persicum celer decurrit.

Morus novissimè germinat, et cum primis folia dimittit.

6.

Ossibus leonis tanta est duritia ut ignis elidatur, tanquam a silice.

Vitis, ut se erigat, claviculis suis, quicquid nacta est, complectitur.

Pisces auditûs nec membra habent nec foramina.

Zeno inventor et princeps Stoicorum fuit.

Mulum octoginta annos vixisse, Atheniensium monumentis apparet.

Mos erat antiquis, niveis atrisque lapillis, his damnare reos, illis absolvere culpâ.

7.

Ignem elici videmus lapidum conflictu.

Arbores aut semine proveniunt, aut consecto arboris trunco.

Arcus cœlestes nisi sole adverso non fiunt; nec unquam nisi dimidii circuli formâ.

Arborum aliis decidunt folia, aliæ sempiternâ comâ virent.

Fulgetrum priùs cernitur, quàm tonitrus auditur, quum simul fiant.

Sola laurus fulmine non icitur.

Poma ex arboribus, si sunt cruda, vi avelluntur, si matura, decidunt.

8.

Indicia ætatis in cornibus cervi gerunt.

Columbæ et turtures octonis annis vivunt.

Quinque sensus natura animantibus dedit; visum, auditum, gustum, tactum, odoratum.

Elephantus poplites intus flectit, hominis modo.

Non eodem semper loco sol oritur, aut occidit.

Sine mixturâ lucis nihil splendidum est.

Minora lumina claritas solis obscurat.

9.

Nonnulli fontes aquas bullientes emittunt.

Leontinus Gorgias centum et septem annos complevit.

Decidunt poma, si imbres aut defuêre, aut abundavêre.

Generi animantium omni est a naturâ tributum, ut declinet ea quæ nocitura videantur.

Pyrenæi montes Gallias Hispaniasque disterminant.

Piscium tria genera sunt: in primis quæ mollia; deinde contecta crustis tenuibus; postremò testis conclusa duris.

10.

Zopyrus se naturam cujusque ex formâ perspicere posse profitebatur.

Pollicebatur Protagoras se id docere, quânam verborum industriâ causa infirmior fortior fieret.

Græci duo genera ulmi novêre: montosam, quæ sit amplior, campestrem, quæ fructuosa sit.

Hiemem præsagit hirundo tam juxta aquam volitans ut pennas sæpe percutiat.

11.

Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit.

Turpis, qui alto sole semisomnis jacet, cujus vigilia medio sole incipit.

Mente vigili esto: animi veternus veræ morti affinis est.

Aquila Jovi dedicatur, eò quòd volandi pernicitate aves omnes excellat.

Elide certamina quadrigarum primùm instituta sunt.

Scythæ, ut famem longiùs tollere possint, fasciis ventrem strictissimè circumligant.

12.

Stellarum globi terræ magnitudinem facilè superant.

Parvos delphinas semper aliquis grandior comitatur ut custos.

Magorum mos est non humare corpora suorum nisi a feris sint ante laniata.

Linea est longitudo quædam sine latitudine.

Socrates totius mundi se incolam et civem arbitrabatur.

13.

Anaxagoram ferunt, nunciatâ morte filii, dixisse; *Sciebam me mortalem genuisse.*

Tiresias cæcus futura videbat, qui præsentia videre non potuit.

Diogenes, Alexandro roganti, si quid sibi opus esset; *Nunc quidem paululum*, inquit, *a sole absis.*

Thales primus defectionem solis, regnante Astyage, prædixisse fertur.

Socrates execrari eum solebat qui primus utilitatem ab honesto sejunxisset.

14.

Hirundines luto nidos construunt, stramento roborant.

Major redditur imago solis quæ per nubem videtur.

Sidera ampliora per nubem aspicienti videntur.

Nullus pernicior hostis est, quàm quem audacem angustiæ faciunt.

Ægyptii quatuor elementa fecêre;

Aërem, aquam, ignem, terram.

Omne corpus, quo solidius est, hôc diutius calorem et concipit et servat.

15.

Dimidia pars mundi semper supra horizontem, dimidia infra est.

Omnis aër, quo propior terris, hoc crassior est: quo editior, hoc purior.

Nihil est tam exiguum quod non in perniciem satis valeat.

Neutrum faciendum est, utrumque enim est vitium, omnibus credere, et nulli.

Neminem excelsi ingenii virum humilia et sordida delectant.

Non faciunt meliorem equum aurei fræni.

16.

Animalia quædam, ne inveniri possint, vestigia sua circa cubile suum confundunt.

Quædam rectissima, cùm in aquam sunt demissa, speciem curvi visentibus reddunt.

Sapiens nihil judicat suum magìs, quàm cujus illi cum humano genere consortium est.

Tenue est mendacium; perlucet si diligenter inspexeris.

Id, quod paupertatem nobis gravem facit, et divitias graves faciet.

17.

Diem nox premit, dies noctem; æstas in autumnum desinit, autumno hyems instat, quæ et vere compescitur: omnia transeunt ut revertantur.

Non est magnus pumilio, licèt in monte constiterit: colossus magnitudinem servabit, etiamsi steterit in puteo.

Cycnus, vocalissimus et omnium avium candidissimus, Apollini sacer est.

18.

Rebus in secundis amicum invenire facile est; in adversis autem, omnium difficillimum.

Luna, incidens in umbram terræ, interpositu terræ repentè deficit.

In contemplatione naturæ nihil potest videri supervacuum.

Nemo prudens punit quia peccatum est, sed ne peccetur.

Stoici omnia peccata paria esse contendunt, nec minùs delinquere eum qui gallum gallinaceum, cùm opus non fuerit, quàm eum qui patrem suffocavit.

19.

Solon, interrogatus cur nullum supplicium constituisset in eum qui parentem necâsset, respondit; *Se id neminem facturum putâsse.*

Si circa occidentem rubescant nubes, serenitatem futuræ diei spondent; sin spargantur, pluvias ventosque significabunt.

Si poculum impleveris aquâ, et in id conjeceris annulum, cùm in ipso fundo jaceat annulus, facies ejus in summo aquæ reddetur.

20.

Socrates, interroganti, quodnam esset pulcherrimum animal, respondit; *Homo artibus et doctrinâ ornatus.*

Aristippus interrogatus, quâ re esset melior evasurus filius, si eum artibus et literis erudiret, inquit, *Ut non in theatro insideat lapis super lapidem.*

Fons et radix omnis honestatis est, si quis in juventute rectè instituatur.

LAUS.

Haud vulgare beneficium est in rebus honestis laudari; laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem.

Bonum est laudari, sed præstantius est esse laudabilem. Neminem citò lauda, neminem citò vitupera.

Teipsum nec vituperes, nec laudes: utrumque enim videtur esse affectantis inanem gloriam.

Qui se laudat, ipse sui ipsius præconem agere videtur; qui verò se vituperat, aliorum laudes flagitare.

Non refert *quot* laudibus te celebrant, sed *quales;* nam ab improbis laudari vituperium est.

Laus vera est illa quæ a laudato viro proficiscitur.

Non minùs laudatoris inspiciendi sunt mores, quàm ejus qui laudatur.

Vera virtus non eget laude alienâ; cùm ipsa secum ducat suam laudem ac decus.

Ut crescente umbrâ vel decrescente, corpus autem idem est; ita nec melior est quisquam, dum vulgo laudatur; nec pejor, dum vituperatur.

CURIOSITAS.

Multi sunt curiosi ad cognoscendam vitam alienam, pauci studiosi ad corrigendam suam.

Curiositas foras egreditur, et omnia studiosè considerat; interna verò negligit.

Aliena curiosè scrutantem propria ignorare turpe est.

Præstat sæpius cum seipso quàm cum externis colloqui.

Acrior cupiditas est ignota cognoscendi, quàm nota repetendi.

Non multùm nocebit tibi ista transire, quæ nec licet scire nec prodest. Quicquid enim nos meliores beatioresque facturum, in aperto positum est.

HUMILITAS.

Virtutum fundamentum est humilitas; quâ sublatâ, virtutum congregatio non nisi ruina est.

Humilitas sola ad dignitatem via est.

Humilitatem gerere, cùm res arduæ premunt, nulla est commendatio; inter autem res maximè secundas vela superbiæ demittere, summam meretur laudem.

Si quid insigne erigere velis, fundamentum ejus sit humilitas.

Plus est animum deposuisse quàm cultum; difficiliùs arrogantiâ, quàm auro caremus, aut gemmis.

ASSIDUITAS.

Crebris ictibus dejicitur quercus; nec est ulla res actu tam ardua, quam non assidua industria efficiat.

Eruditionis radices sunt quidem satis amaræ, fructus autem dulcissimus.

Literarum studia per se jucunda sunt, multiplici enim voluptate curam nostram et laborem compensant.

Qui in præclaris rebus suam industriam exercet, is, vel si spem fortuna frustret, omni laude non est excludendus.

Pudeat vos, qui Musas colitis, tardos esse et supinos; quin potiùs immensum pectore robur alite.

PROMISSA.

Quæ præstare nolis, cave ne promittas. Priùs quàm promittas, delibera; sed cùm promiseris, fac ut præstes.

Fundamentum justitiæ est fides; dictorum conventuumque constantia et veritas.

Omnia perdidit qui fidem perdidit.

Parthis nulla fides nisi quantùm expedit, quibus utilitas est semper fide sanctior.

Fides nullâ vi ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio.

Fac magna, nil magni promittens.

EXEMPLUM.

Plùs homines oculis, quàm auribus credunt: longum iter est per præcepta; efficax et breve per exempla.

Quales sunt ii qui præsunt, tales et illi solent esse, qui eorum imperio sunt subjecti.

Non fieri potest, ut qui talis ipse non est, qualem esse oportet, is alios ad præclaras et laudabiles actiones incitaret.

Sapiens ex aliorum vitâ et exemplo sumit vivendi consilium.

Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus.

Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistat.

O felicem illum, qui non adspectus tantùm, sed etiam cogitatus emendat! O felicem qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat et ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus.

Pars magna bonitatis est, velle fieri bonum.

NOSCE TEIPSUM.

In omnibus vitæ partibus, hanc sententiam tanquam oraculum consule, *Nosce teipsum*. Præ foribus etiam templi Delphici aureis literis scriptum fuit.

Melior es, si teipsum cognoscas, quàm si, te neglecto, cursus siderum, vires herbarum, cœlestium omnium et terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, et seipsos nesciunt.

Frustrà sapit qui non sibi sapit: aliorum scientia est inanis, dum nosipsos ignoramus.

Ne teipsum existimaveris aliorum laudatione, sed tuâ ipsius conscientiâ.

Suis quisque vitiis blanditur, eaque mutatis nominibus extenuat.

Qui se verè norunt, semper sibi diffidunt.

Aliena rectiùs perspicimus quàm nostra, et sibi quisque adulator est.

In speculo teipsum contemplator, et si formosus appareas, age quæ formam decent; sin deformis, quod in facie minus est, id morum pulchritudine pensato.

MORS.

Omne humanum genus, quodcumque est, quodcumque erit, morti damnatur.

Incertum est in quo loco mors te expetat; tu illam in omni loco expecta.

Qui mortem timet non effugit eam, sed insuper hoc ipsum vitæ quod datur perdit; anxiè enim vivere non est vivere.

Non potest malè mori, qui bene vixerit, et vix bene moritur, qui malè vixit.

Nihil tibi æquè proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi, et incerti.

Nemo, dum adhuc vivit, beatus dici debet; quia ad ultimum usque fati diem ancipiti fortunæ subjecti sumus.

Mors omnes falce suâ demetit: maximus pietate Æneas, eloquentissimus Cicero, ditissimus Crassus fato cecidêre. Ubi Cato? expiravit. Ubi duo fulmina belli, Scipiadæ? occidêre: nemini quidem mors parcere novit.

Xerxes ille rex potentissimus, qui subvertit montes, mariaque constravit, cùm de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, et innumerabilem vidisset exercitum, flevisse dicitur, quòd post centum annos, nullus eorum, quos nunc cernebat, superfuturus esset.

ADOLESCENTIA.

Ut brevis flosculorum nitor, ita fugax juventus.

In juventute viget ætas, hilaris est animus, et omne deliciarum genus inconstans expetit. Leotychides interrogatus, Quid potissimùm oportet pueros ingenuos

discere; Quæ illis, inquit, ubi ad virilem ætatem pervenerint, usui sunt futura.

Hercules, cùm primùm pubesceret, exiit in solitudinem, atque ibi sedens diu secum multùmque dubitavit, cùm duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius esset.

Ut in senibus sobrietas, et morum perfectio requiritur; ita in adolescentibus honestus pudor et obedientia.

Honor adolescentum est Deo, parentibus, et senioribus honorem deferre; castitatem, clementiam, et verecundiam colere.

Apud Lacedæmonios scelus erat juvenem non assurrexisse seni.

Adolescentibus bonâ indole præditis sapientes senes delectantur.

Juvenis laborem recusans in senectute miser et calamitosus erit.

SAPIENTIA.

Est sapientia prima stultitiâ caruisse. Sapientia ars vivendi est, quæ nos a libidinum impetu, et formidinum terrore vindicat.

Hoc scito, neminem posse bene vivere, sine sapientiæ studio.

Sapiens nihil fortunæ credit, contentus virtute, quæ opibus non indiget.

Maximum indicium sapientiæ est, ut verbis opera concordent.

Sapientis mens non incurvatur: stat rectus sub quolibet pondere.

Non solùm cùm vacas sapientia colenda est; omnia alia sunt negligenda ut ei assideamus.

Mater omnium bonarum rerum est sapientia, quâ nihil a diis immortalibus præstantius homini datum est.

CONSCIENTIA.

Conscientia bene actæ vitæ jucundissima est.

Bona conscientia prodire vult et conspici: nequitia

ipsas tenebras timet. Proprium est nocentium trepidare. Bona conscientia turbam advocat; mala etiam in solitudine anxia et solicita est.

Si honesta sunt quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire, si tu scias? O! te miserum si contemnis hunc testem.

Si semper memineris Deum inspectorem adesse, in cunctis verbis et actionibus tuis, vereberis inspectoris præsentiam quem nihil latet.

GLORIA.

Optimi cujusque animus maximè ad immortalitatem gloriâ nititur.

Gloria est consentiens laus bonorum; incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute.

Ex omnibus præmiis virtutis amplissimum est gloria, quæ vitæ brevitatem posteritatis memoriâ consolatur, quæ efficit ut morituri vivamus.

Magna est ejus gloria quæ nullis laudibus crescit, et nullis vituperationibus minuitur.

Summa laus est non ambire laudem, quæ magis sequitur fugientem.

Ea fama, quam sequimur, vanum et volatile quiddam est, aurâque mobilius.

Cavenda est nimis avida gloriæ cupiditas.

Gloria præcipuum ornamentum virtutis est; quæ non aliter gaudet agnosci, quàm ut sol amat lucere, ut et prosit quamplurimis, et quamplurimos ad sui æmulationem pelliciat.

Alexander magnus cùm interrogaretur an Olympiis certare curriculo vellet? *Sanè si habiturus sum, inquit, adversarios reges.*

HONOR.

Honor verus est virtus animi; hic honor non a Cæsaribus præstatur, neque pecuniâ comparatur.

Virtus puris fruitur honoribus: proprios in semetipsâ fulgores habet, quos ei vel auferre vel obscurare nihil potest.

Nihil turpe vir bonus faciet, etiamsi omnes deos hominesque celare possit.

Præcipua dignitas est, non fungi honoribus, sed ab aliis dignum honore judicari.

Qui virtutem honore suo fraudat, ipsam virtutem a juventute aufert.

Non est dignum, ut inde exigas honorem, unde refugis laborem.

Non voluptatum viâ sed virtutis ad honoris fastigium itur.

Marcus Cato populum Romanum monebat ut honorem magistratûs his demum committerent, qui de se virtutis specimen dedissent.

A Romanis Honoris templo Virtutis templum erat conjunctum, in quod nisi per virtutis templum introire nemini liceret.

JUSTITIA.

Justitia est constans et perpetua animi propensitas jus suum unicuique tribuendi.

Nihil est honestum quod justitiâ vacat; nec sine eâ potest aliquid esse laudabile.

Justitiæ convenit suum cuique reddere, beneficio gratiam, injuriæ talionem.

Ponat personam amici vel inimici, qui judicis induit: semper enim iniquus est judex qui aut invidet aut favet.

Qui adipisci veram gloriam vult, justitiæ fungatur officiis.

Qualem vis esse proximum tuum tibi, talis esto et tu tuis proximis.

Quod pati non vis ab alio, neque id facias.

LIBERTAS.

Nemo liber est, nisi qui sibi imperat.

Liber est qui seipso est contentus, et ex se pendet, non ex alterius arbitrio et imperio.

Nulla voluptas viris ingenuis est libertate suavior.

Liber est æstimandus qui nulli turpitudini servit quem superbus non inflat animus.

Profectò liberum non facit fortuna, sed virtus: si enim prudens, si justus, si fortis, si modestus, si innocens, si pius quis fuerit, is verè liber est: horum si quid absit, pro eâ parte se servum sciat.

Eo quisque miserior est in servitute, quo felicior in libertate fuit.

ÆTAS.

Ætatis nulla potest esse intempestiva parsimonia.

Ætas nunquam non defluit, sive dormias, sive vigiles.

Horæ cedunt, dies, menses, et anni; nec præteritum tempus unquam revertitur.

Quemadmodum navigantibus terræ urbesque recedunt; sic temporis cursu primò pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde senectutis annos.

Nihil tempore pretiosius, et heu! nihil hodie eo vilius invenitur.

Nemo sibi perire diem, et nunquam rediturum meditatur.

LABOR.

Justus ac honestus labor honoribus et præmiis decoratur.

Generosum animum difficultas erigit, alit labor.

Turpe est cedere oneri; non est vir fortis et strenuus qui laborem fugit.

Qui laborem recusat, seipsum condemnat tanquam bonis omnibus indignum; quicquid enim est ubique boni, labore comparatur.

Nulla res magna sine labore veniet.

Apud Ægyptios lege fuit cautum ne cibis priùs vesceretur juventus, quàm centum et octoginta stadia percurrisset.

CONCORDIA.

Quid magis omnibus mortalibus expetendum, quàm pax et concordia?

Felices istæ civitates quæ ita in concordiâ vivunt, ut de utilitatibus unum idemque sentiunt, et decernunt.

Ubi concordia, omnium bonorum conservatrix floreat, omnia bene se habent: ubi lites seminat discordia, * nihil non malorum videas.

Civitatem non saxis, lignisve, sed civium virtute muniri oportet, quos si jungit concordia, nullus potest esse murus inexpugnabilior.

Fratrum inter se concordia quovis muro firmius munimentum est.

Scilurus octoginta filios habens, cùm esset moriturus, fasciculum jaculorum singulis porrexit, jussitque rumpere. Id cùm singuli recusavissent, eo quòd impossibile videretur, ipse singula jacula exèmit, atque ita omnia facilè confregit, filios admonens his verbis; *Si concordes fueritis, validi, invictique manebitis; contrà, si dissidiis et seditione sitis distracti, imbecilles eritis, et expugnatu faciles.*

BENEFICIA.

Quæ gratìs a Deo accepisti gratìs præsta.

Ut sol sceleratis, juxtà ac piis oritur; ita benefici est gratis et ingratis dare.

Unum bene collocatum beneficium multorum amissorum solatur damna.

Qui liberalis est, non expectat ut rogetur; sed ultrò quærit occasionem largiendi.

Parvum beneficium tempestivè collatum accipientibus fit maximum.

Duplicatur liberalitatis gratia, cùm accedit celeritas: minùs decipitur cui negatur celeriùs.

Errat, si quis beneficium liberiùs accipit, quàm reddit: hilarior esse debet qui solvit, quàm qui mutuat.

Liberalitatis duo sunt maximè laudabiles fontes; verum judicium, et honesta benevolentia.

Ne sit major beneficentia quàm facultas; qui enim beneficentiores esse volunt quàm res patitur, dum aliis prodesse student, sibi ipsis nocent.

---

* *Nihil non malorum*—every kind of evil.

Dati beneficii debemus oblivisci, accepti autem semper meminisse.

Titus Vespasianus super cœnam aliquando recordatus, quòd eo die nemini quicquam præstitisset, *Amici*, inquit, *diem perdidi.*

DESIDIA.

Desidiam ceu pestem quandam semper fugite; nihil non malorum enim docet desidia.

Per torporem vires et ingenium defluunt.

Improba vitanda est desidia siren: a vobis, juvenes procul absint mollia, blanda; ardua petite, difficilia suscipite; per saxa, per rupes, per ignes, divinas Musas insectamini.

Nihil agendo, malè agere perdiscas: ut rubigo ferrum, ita otium vires consumit.

Ut aquæ stagnantes facilè corrumpuntur, sic vita, nullo negotio occupata, vitiis obruitur.

TEMPERANTIA.

Temperantia, in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem ut sequamur monet.

In omnibus adhibendus est modus: non quantùm velis, sed quantùm sumere debeas, temperantia permittit. Mater sanitatis est abstinentia; mater ægritudinis voluptas: temperantia enim et morbos et egestatem arcet.

Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis cautè abstinet.

Pythagoras philosophus olusculis tantùm et frugibus vescebatur, carnibus abstinebat: potum illi fons tribuit.

NOBILITAS.

Virtutes certè faciunt, ut alter altero nobilior sit.

Præter virtutem nullam agnosco nobilitatem; reliqua verò cuncta fortunæ æstimo.

Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, qui dedignatur servire vitiis et ab eis superari.

Bonus vir mihi nobilis videtur: qui verò non justus est, licèt a patre meliore, quàm Jupiter est, genus ducat, ignobilis mihi videtur.

Qui bene vivit, bene nascitur, bene moritur.

Pulcherrimum nobilitatis genus est, quam sibi quisque propriis virtutibus conciliat.

Quanto nobilior es, tanto cautiùs turpitudinem fugito: nihil magis posterorum maculas aperit, quàm majorum splendor et gloria.

Age aliquid præclarum et tu, si vis esse nobilis; majores tui enim, nisi aliquid egissent laude dignum, nunquam nobiles fuissent.

Satius est, inquit Cicero, meis gestis florere, quàm majorum famâ uti.

MAGNANIMITAS.

Nihil magnum est in rebus humanis, nisi mens intrepida periculis, mitis in hostes devictos, amicis grata, cunctis denique benevola.

Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit: quicquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur; vires suas novit; vincit virtute fortunam.

Eris magnanimus, si pericula non appetas ut temerarius, nec formides ut timidus.

O quàm contemnenda res est homo, nisi supra humana surrexerit.

MODESTIA.

Verecundia est omnibus ætatibus, personis, temporibus, et locis apta; adolescentes tamen juvenilesque annos maximè decet.

Quàm pulchra et quàm splendida gemma morum est modestia, et in vitâ, et in vultu adolescentis! quàm vera et minimè dubia bonæ spei nuntia, bonæ indolis index.

Plures pudore peccandi, quàm bonâ voluntate a prohibitis abstinent.

Diogenes adolescentulum inhonesto verbo erubescentem, *Confide*, inquit, *fili, hicce color virtutis est.*

VERITAS.

Nihil veritate sanctius et pretiosius haberi debet.

Turpe est aliud loqui, aliud sentire; quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiàmus: concordet sermo cum vitâ.

Non amat veritas angulos; in medio stat: licèt nullum patronum aut defensorem obtineat, tamen per se ipsa defenditur.

Non solùm proditor est veritatis, qui mendacium pro veritate loquitur, sed qui non liberè veritatem pronuntiat quam pronuntiare oportet; aut non liberè defendit libertatem quam defendere oportet.

AFFECTUS.

Affectus quidem tam mali ministri quam duces sunt.

Facile est affectus nostros, quum primùm oriuntur, coërcere: morbum signa præcurrunt: prodest morbum suum nôsse, et vires ejus, antequàm spatientur, opprimere.

Cupiditati nihil satis est; naturæ satis est etiam parum: necessariæ cupidines, nec operâ multâ, nec impensâ implentur.

Pythagoras perturbationes animi lyrâ componebat.

METUS.

Plus in metuendo est mali, quàm in eo ipso quod timetur.

Timor modestus cautionem, vehemens verò desperationem parit.

Magna est stultitia, id ipsum quod verearis ita cavere, ut cùm vitare fortasse potueris, ultro accersas et attrahas.

Auget sibi molestiam qui timet quod vitari non potest.

Miserrimum est consenescere metu mali quod nondum venit.

Qui insidias timet rarò circumvenitur. Sæpe metuendo sapiens malum vitat.

ULTIO.

Multo satius, multoque formosius oblivisci injuriæ, quàm ulcisci: generosior est nulla oblivio quàm

offensæ. Nobilissimum vindictæ genus est parcere, et benefacere.

Multos vindicâsse pœnituit, neminem pepercisse: venia mitis est ingenii, ultio autem ferini.

Pejus est injuriam facere quàm ferre. Melius est injuriam accipere quàm ulcisci.

FELICITAS.

Miseri sunt quos vulgus beatos judicat, et non pauci beati quos miserrimos putat. Beati sunt quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines cruciant.

Vir sapiens et bonus ubicumque vixerit felix est.

Rarò ulla datur felicitas, cui non est adjunctum aliquid incommodi.

Quantò major est fortuna, tantò minùs secura est.

Nulla adversitas eum dejecit, quem nulla felicitas corrumpit.

Sapienter cogitant qui temporibus secundis casus adversos reformidant.

Semper humanæ lætitiæ tristitia repentina succedit, et quod incepit a gaudio, desinit in mœrore: felicitas quippe multis amaris est respersa.

Plerisque fatale est nunquam in rebus secundis sapere.

Difficilius est hominem reperıre qui res secundas, quàm qui adversas rectè ferat.

Ut adversas, sic secundas res immoderatè ferre, levitatis est.

Socrates interrogatus, Utrùm Persarum rex magnus felix esset. *Nescio*, inquit, *an eruditus et justus sit: in hoc enim hominis felicitas consistit.*

TACITURNITAS.

Nihil æquè prodest quàm minimùm cum aliis loqui et plurimùm secum.

In hoc incumbe, ut libentiùs audias quàm loquaris.

Magna est sapientia tempestivum silentium, omni certè sermone præstantius.

Taciturnitas stulto homini pro sapientiâ est: tacere qui nescit, nescit loqui.

Tria sunt præcipuè in omni vitâ habenda: in animo prudentia, in vultu verecundia, in linguâ silentium.

In Pythagoræ scholâ quinquenne silentium erat in dictum.

LUDUS ET RECREATIO.

Omnibus prodest subinde animum relaxare; vires humanæ laborem continuum pati non possunt: dirumpitur arcus qui nunquam laxatur.

Animi et corporis remissiones ad novos labores nos parant.

Non remittenda quidem sunt studia, sed relaxanda, nascitur enim ex assiduitate laborum quædam hebetatio et torpor animi.

Detur pueris respiratio, ludus, et jucunditas: caveant autem ab intemperantiâ, meminerint verecundiæ.

PHILOSOPHIA.

Philosophia sapientiæ amor est. Philosophia omnium artium mater est: hæc primùm ad cultum deorum, deinde ad jus hominum, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudivit.

Qui ad philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni exinde ferat; aut sanior domum redeat, aut sanabilior.

Facere docet philosophia, non solùm discere: ea autem est et contemplativa, et activa: spectat simulque agit.

Philosophia animum firmat et fabricat: vitam disponit, actiones regit; agenda et omittenda demonstrat.

Aristoteles rogatus, Quid fructûs philosophia sua illi attulisset, *Ut meâ*, inquit, *sponte ea faciam, quæ plerique legum metu coacti faciunt.*

Aristippus percontanti Dionysio, Quid eximium hab-

erent philosophi præ cætèris hominibus? *Ut*, inquit, *si omnes leges aboleantur, tamen justè victuri simus.*

ERROR.

Omnium est facillimum seipsum decipere.

Sapientissimus aliquando a proposito errat: nemo usquam loci tam peritus inventus fuit sagittarius, ut a scopo nunquam aberraverit.

Nemo errat sibi solùm, sed dementiam spargit in proximos accipitque invicem.

Simplex recti cura est, multiplex erroris, et semper novas declinationes habet.

Veritati aliquid extremum est, error est immensus.

AMICITIA.

Solitudo est vita sine amicis, insidiarum et metûs plena: ratio ipsa monet amicitias parare.

Amicitia cum voluptate maximâ connectitur: lætamur enim amicorum lætitiâ, et pariter dolemus angoribus.

Eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in seipsum: quosque labores propter suam voluptatem suscipiat, eosdem suscipiet propter amici voluptatem.

Verum illud est, quod dicitur, *multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus perfectùm sit.*

Nihil æquè oblectat animum quàm amicitia fidelis et dulcis.

Quantum bonum est ubi sunt præparata pectora, in quæ tutè secretum omne descendat, quorum sermo solicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet.

Amici aspectus suavis est: exceptâ sapientiâ, nil melius datum est homini a diis immortalibus quàm amicitia: quid enim dulcius quàm habere, cum quo omnia sic loqui possis, ut tecum?

Aurum ignis probat, amicos adversa fortuna.

IRA.

Ira est impetuosa, et omni flammâ vehementior. Qui iram non frænat, is immani belluæ quàm homini est similior.

Per iram sapientia perditur; nec enim fieri potest ut concitatus irâ ratione utatur.

Optimum est primum iræ irritamentum spernere, ipsisque repugnare seminibus.

In primis finibus hostis arcendus est; nam cùm intravit, et portis se intulit, modum a captivis non accipit.

Irâ abstinendum est sive par est qui lacessendus est, sive superior, sive inferior. Cum pari contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum.

Ira educatione repellenda est: facile est enim teneros adhuc animos componere: vix tandem reciduntur vitia quæ nobiscum creverunt.

Nihil magìs facit iracundos quàm educatio mollis et blanda: luxuria maximè iracundiam nutrit.

Non potest omnino, inquies, ex animo ira tolli; neque hoc natura hominis patitur. Quodcumque sibi imperavit, animus obtinuit.

VIRTUS.

Inter pulchra quidem virtus primatum tenet; laudari verò debet non ipsa modò virtus, sed causæ quoque et comites, fructus, et opus omne virtutis.

Virtute non res honestior, non constantior est ulla; pulchritudo vel valetudine perit, vel tempore: divitiæ vitiorum sunt potiùs quàm recti ministræ.

Nulli præclusa est virtus; omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat.

Virtus magnifica est, non quia per se beatum est malo caruisse, sed quia animum præparat ad cogni-

tionem cœlestium, dignumque efficit qui in consortium Dei veniat.

Si ad alias virtutes animi literarum lux accesserit, tum demum consummatum quiddam, et perfectum videmus, si in rebus humanis potest esse perfectio.

Aude virtutis amplitudinem quasi in alterâ libræ lance ponere: terram ea lanx et maria deprimet.

VOLUPTAS.

Fluit voluptas, sæpiùsque relinquit causas pœnitendi quàm recordandi.

Nulla capitalior pestis quàm voluptas hominibus a naturâ data est.

Plato voluptatem escam malorum appellat.

Voluptas tum, cùm maximè delectat, extinguitur.

Voluptates contemplemur non venientes, sed abeuntes: venientes enim fucatâ specie blandiuntur; abeuntes dolorem relinquunt.

Attalus Stoicus dicere solebat, *Malo me fortuna in castris suis, quàm in deliciis habeat.*

Nemo ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur, aut odit, aut fugit; sed quia consequantur magni dolores eos, qui cum ratione voluptatem sequi nesciunt.

Voluptates agricolarum mihi ad sapientis vitam proximè accedere videntur.

Siqua propter voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequitia verò apud vos semper manebit.

Voluptates istas sectare, quæ cum gloriâ sunt conjunctæ.

PATRIA.

Patriâ nihil dulcius, nihil carius in vitâ esse debet: nullus locus est domesticâ sede jucundior.

Cari sunt liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium cāritates patria complectitur.

Nullus est casus pro dignitate et libertate patriæ non ferendus.

Codrus Atheniensium rex, cùm, in bello Peloponnesiaco, ab oraculo responsum accepisset: *Victricem fore gentem, cujus princeps bello periret*, permutato regis habitu, et gregarium se fingens militem, hostibus se occidendum præbuit.

VITA.

Quomodò fabulâ, sic vitâ, non quàm diu, sed quàm bene acta sit, refert.

Optabilior est vita obscura cum securitate, quàm cum periculo splendida.

Inter cætera mala, hoc habet stultitia : semper vivere incipit.

Nihil est tam fallax quàm vita humana.

Ad mortem dies accedit omnis : ideo animus nobilis, conscius sibi melioris naturæ, dat operam ut in hâc statione honestè se gerat; nihil horum quæ circa ipsum sunt suum judicat, sed ut commodatis utitur.

SPES.

Nihil perinde animum sustentat atque spes læta, et bonorum expectatio.

Illa, quæ jucunda sunt, licèt nondum adsint præsentia, spe tamen delectant.

Spes, felicitatis blanda expectatio, sola hominem in miseriis consolari potest.

Cùm fortuna minatur, fortiter teipsum sustine, ac res secundas expecta, nec abjicias spem, quæ sola nec morientem relinquit.

Aristippús philosophus, naufragio ejectus, amissis omnibus, cùm vidisset in arenâ figuras quasdam geometricas, hilari vultu exclamâsse dicitur; *Bene sperandum est, hìc enim hominum vestigia cernimus.*

NATURA.

Naturam sequentibus omnia facilia sunt et jucunda · contra illam viventibus non alia vita est, quàm contra flumen navigantibus.

Gratia est habenda naturæ, quòd ea, quæ necessaria sunt, parabilia fecerit; quæ autem non facilè parantur, minimè necessaria. Naturam ducem si sequimur, nunquam aberrabimus.

Meliora sunt ea quæ naturâ, quàm quæ arte perfecta sunt.

FORTUNA.

Plùs hominibus adversâ, quàm prospera prōdest fortuna.

Non solùm ipsa fortuna cæca est, sed etiam ēos plerumque cæcos efficit quos complectitur.

Nihil eripit fortuna nisi quod dedit: virtutem autem non dedit, ideo non detrahit.

Ille insanus est, qui alteri fortunam exprobrat; cùm nemo sciat, etiamsi florens sit, an ad vesperam eadem fortuna sit mansura.

Neminem adversa fortuna comminuere potest, nisi quem secunda decepit.

Brutus in eo libro, quem de virtute scripsit, ait, *se vidisse Marcellum, Mitylenis exulantem, beatissimè viventem, neque unquam antè bonarum artium cupidiorem.*

PATIENTIA.

Omnis dolor patientiâ lenitur: alia aliis malis sunt remedia, patientia autem commune est malorum omnium lenimentum.

Sine querelâ mortalibus tributa pendamus. Hyems frigora adducit, algendum est; æstas calores refert, æstuandum est: intemperies cœli valetudinem tentat, ægrotandum est, et fera nobis occurrit, et homo feris omnibus perniciosior.

Optimum est pati quod emendare non possis, et Deum sine murmuratione comitari.

Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur.

CONSUETUDO.

Nihil tam firmum est in rebus humanis, quàm veteris consuetudinis imperium.

Quæramus quid optimè factum sit, non quid usitatissimum; et quid nobis felicitatem perpetuam præbere possit, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit.

Ita sumus compositi, ut solita et quotidiana, etiamsi admiratione digna, transeunt; contrà, minimarum rerum, si insolita fuerint, spectaculum dulce fit; nemo lunam, nisi laborantem, observat.

CONTENTUS SUA SORTE.

Nihil est ab omni parte beatum: multi, novâ sorte quæsitâ, veterem rursus optaverunt.

Tuâ sorte sis contentus: nonnulli fuêre, qui, si mansissent humiles, tuti esse potuerunt: facti sublimes, ceciderunt in pericula.

Quotidie nos ipsa natura admonet, quàm paucis, quàm parvis rebus egeat, quàm vilibus.

Si cui sua non satis ampla videntur, licèt totius mundi dominus sit, miser est: si ad naturam vivis, nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam dives.

VITIUM.

Summa scientia est vitia virtutesque distinguere.

Videndum est diligenter ad quæ vitia simus propensi: alii enim ad alia procliviores sumus.*

Quis non peccat in vitâ, et delictis nullis tenetur? optimus ille est, qui non solùm minimis, sed etiam paucissimis urgetur.

Vitia nostra, quia amamus, defendimus, et ea malumus excusare quàm excutere.

Perniciosum est vitiis servire: quia quot vitia habet anima, tot et dominos.

Magis nocent vitia quæ boni prætextum habent.

Citò nequitia obrepit, virtus difficilis inventu est; rectorem, ducemque desiderat. Vir malus plus mali patitur afflictus conscientiâ, quàm ille qui in corpore castigatur et flagris cæditur.

---

* *Alii enim, &c.*—different men are prone to different vices.

Siquis impietatem quàmvis occultè fecerit, nunquam tamen confidat eam fore semper occultam. Improborum facta primò suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum accusatio, tum judex: multi etiam ipsi se indicaverunt.

Nulla potest esse in scelere voluptas.

Desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia mores fiunt.

MEMORIA.

Mater musarum est memoria, et tantùm scimus, quantùm memoriâ tenemus. Memoria minuitur, nisi eam exerceas; cunctis memoriæ defectibus medetur industria.

Si quid audiveris cognitu dignum, id non libris, sed animo inscribito; hâc enim exercitatione confirmata memoria, quicquid vult, tenet, et, quod quisque scit, habet in promptu.

Mithridati regi Ponti tanta fuisse memoria fertur, ut duabus et viginti nationibus, quibus imperabat, suâ cuique linguâ jus dicere soleret.

PUERITIA.

Ut ad literas, ita ad virtutem pueritia promptissima est.

Tenaciter hærent illa quæ rudibus annis percepimus: proinde optima quæque in primis statim annis addiscenda sunt.

Quod in pueritiâ didicimus, diutius, firmiùsque meminisse solemus.

Puer quidam, qui apud Platonem educatus fuerat, inde ad parentes reductus, cùm sublatâ voce excandescentem conspiceret patrem, dixisse fertur: *Nunquam hæc apud Platonem vidi.*

CONSILIUM. PRUDENTIA.

Sine bono consilio nihil efficit robur.

Priusquàm incipias, consulto, et, ubi consulueris, maturè facto opus est.

Homines sapientes solent ante facta deliberare, stulti autem post facta.

Prudentis est in alieno fugienda intueri. Prudentia nobis maximè necessarium est; docet enim quid fugiendum, quid tenendum sit: docet ut in cunctis quis idem sit, tam in prosperis quàm in adversis: docet denique quomodò præsentia ordines, et futura provideas.

Prudentia tanto cæteris virtutibus antecellit, quanto cæteris sensibus præstat visus.

BENEFICIA.

Hæc beneficii inter duos lex est; alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam.

Generosi animi et magnifici est juvare et prodesse: qui dat beneficia Deum imitatur.

Ab Antigono Cynicus quidam petiit talentum: respondit, *Plus esse quàm quod Cynicus petere debet;* repulsus petit denarium; respondit; *Minus esse quàm quod regem deceret dare.*

Nihil æquè amarum est quàm diu pendere: meliùs spes præciditur quàm trahitur. Qui tardè proficit, non ex animo facit.

ARS.

Fabius pictor felices artes futuras ait, si soli artifices de iis judicarent.

Ex minimo vestigio artifex artificem cognoscit.

Nemo rectè de artificio potest judicare nisi artifex.

Quam scit quisque exerceat artem.

Praxiteles equam tantâ animi sagacitate pinxit, ut equus quidam hinnitus edere coactus fuerit; canemque cujus aspectu canis alter a latratu abstinere non potuit.

DEUS.

Ab ejus operibus incipimus Deum nôsse: quocunque te flexeris, ibi Deum videbis occurrentem tibi: nihil ab illo vacat.

Totus mundus Dei immortalis est templum: solùm quidem amplitudine ac magnificentiâ dignum.

Deus est mens immortalis; spiritus cuncta pervadens; pervigil oculus; manus omnipotens.

PIETAS.

In pietate præcipua pars felicitatis sita est.

Primus est Dei cultus, Deum credere. Munera et victimæ nihil honoris Deo conferunt; honor summus Deo est, scire eum et imitari.

Optimè Deum honorat, qui mentem suam, quantum fieri potest, similem Deo facit.

Non linguam sed opera Deus præcipuè curat; sapiens, etiam cùm tacet, Deum honorat.

Socrates, humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum;

Nihil ultrà petendum a diis immortalibus, arbitrabatur, *quàm ut bona tribuerent: quia ii demum scirent quod unicuique esset utile; nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrare melius foret.*

PAUPERTAS.

Qui cum paupertate bene convenit dives est: non qui parum habet, sed qui plùs cupit, pauper est.

Paupertas primâ fronte rigida est ac subtristis, cùm domum nostram invadit; at cùm in familiaritatem admissa fuerit, et minimè sumptuosa, et secura, et facilis hospes erit.

Nihil amittit, qui nihil habet; et parum eget, qui parum cupit.

Ama màgis justam paupertatem, quàm injustas divitias.

Scire uti paupertate magna est felicitas.

Socrates, in pompâ cùm magna vis auri argentique ferretur; *Quam multa non desidero*, inquit.

Si nihil aliud secum afferret paupertas, quàm quòd fictorum amicorum et fallacium gregibus adulantium te liberat, abundè esset causa, ut non modò ferenda esset, sed optanda, imo etiam accersenda pauperies.

Ut honoribus hominum mores non raró corrumpuntur; ita paupertate sæpe emendantur.

Facilius est paupertatem laudare quàm ferre; census in castris ordinem promovet.

In carcere Socrates disputavit, et exire noluit; remansitque, ut duarum rerum gravissimarum hominibus metum demeret, mortis et carceris.

DEI BENEVOLENTIA.

Deus humano generi præcipuè ministrat: in primâ verùm constitutione *rationem* homini dedit: hâc antecedimus animalia, Deum sequimur.

Quid autem ratio? Nihil aliud quàm divini spiritûs pars in corpus humanum mersa.

Ipsa formæ nostræ pulchritudo Deum fatetur artificem; vultus erectus, oculi in summo, veluti in speculo, constituti, et omnes cæteri sensus velut in arce compositi.

Nihil in homine membrorum est quod non necessitudinis causa sit et decoris.

Ver æquè cum suis floribus, et æstas cum suis messibus, et autumni maturitas grata, auctorem suum parentemque testantur.

RERUM DISSOLUTIO.

Hæc mundi domus, cœlum quoque cum omnibus quæ cœlo continentur ita, ut cœperunt, desinent.

Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, subducitur nobis, a Deo elementorum custode reservatur.

Sol demergit et nascitur: flores occidunt et reviviscunt; expectandum nobis etiam corporis ver est.

Pythagoras familiares suos hortabatur, ut optimum vivendi genus sibi deligerent; quàmvis enim laboriosum esset, consuetudine tamen jucundum fore.

Anacharsis leges aranearum telis comparabat; nam ut illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere; ita his humiles et pauperes constringi, divites et potentes non alligari.

Thales, interrogatus quid esset in totâ rerum naturâ

robustissimum, respondit; *Necessitas, superat enim omnia.*

Sapiens non amat divitias sed mavult: non in animum illas sed in domum recipit.

Domus sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu, sine apparatu est: nullis observatur janitoribus; fortuna non transit; scit non esse illìc sibi locum.

Ut secundâ tempestate navigantes etiam adversæ præsidia in promptu habent; ita viri sapientes in rebus secundis etiam adversæ fortunæ remedia sibi parant.

Alexander cuidam civitati partem agrorum et dimidium rerum omnium promittenti; *Eo*, inquit, *proposito in Asiam veni, non ut id acciperem quod dedissetis, sed ut id haberetis quod reliquissem.*

Archidamus, post cladem apud Chæroneam acceptam, cùm a Philippo rege Macedonum literas accepisset acerbiùs scriptas, sic rescripsit; *si metiaris umbram tuam, haudquaquam reperies eam factam majorem quàm ante victoriam erat.*

Philosophiæ summum Epictetus duobus verbis comprehendere solitus est: *Sustine* et *abstine:* quorum prius admonet ut mala æquo animo perferamus; posterius, ut a voluptatibus temperemus.

Dionysius junior, pulsus a tyrannide, et rogatus, Quid illi Plato, et philosophiæ disciplina profuissent? *Ut tantam*, inquit, *fortunæ mutationem æquo animo feram.*

Cùm Athenis quidam in theatrum grandis natu venisset, locus ei a suis civibus nusquam datus est: cùm autem ad Lacedæmonios accessisset, consurrexisse omnes illi dicuntur, et senem in sedem suam recepisse. Quod ubi populus aspexit, maximo plausu alienæ urbis verecundiam comprobavit. Ferunt tum unum ex Lacedæmoniis dixisse; *Ergo Athenienses quid sit rectum sciunt, sed id facere negligunt.*

Alexandro Magno Corinthii per legatos gratulati sunt et civitate suâ illum donaverunt: cùm risisset

Alexander hoc officii genus; unus ex legatis, *Nulli*, inquit, *civitatem unquam dedimus alii, quàm tibi et Herculi.*

Antisthenes dicebat; satius esse cum paucis bonis adversus omnes malos pugnare, quàm cum multis malis adversus paucos bonos. Præstat enim de numero bonorum esse, quorum ubique raritas est, quàm de grege malorum, quorum ubique plena sunt omnia.

Alexander suam imaginem, ab Apelle pictam, contemplatus, non laudavit pro dignitate picturæ. Quum autem introductus equus adhinniret equo istius tabulæ, tanquam si verus esset et ipse; *O rex*, inquit Apelles, *hic* sanè *equus* artis pingendi multò peritior quàm *tu* esse videtur.

Epaminondas unum habebat pallium, idque sordidum; si quando verò illud dedisset in fullonis officinam, ipse se domi continebat ob inopiam alterius.

Anaxarchus Alexandrum ridebat, quòd se ipsum Deum faceret.

Quum verò ægrotaret aliquando Alexander, et ideo medicus ei sorbitionem præciperet parari; ridens Anaxarchus; *At nostri Dei*, inquit, *in sorbitione spes sitæ sunt.*

Pythagoras, tyrannidem fugiens, in Italiam venit, et quæ didicerat de rerum naturâ mundique aperuit, et ad modum seculi docuit, ad usus necessarios cuncta præbente terrâ, nefas esse animalibus vesci.

Priscis temporibus, cùm adhuc nuda virtus placeret, vigebant artes ingenuæ, summumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum sæculis diu lateret. Itaque omnium herbarum succos Democritus expressit, et, ne lapidum virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit.

Carthaginienses, duos gubernatores navi dederunt, absurdum esse dicentes, duo quidem gubernacula habere; eum verò, qui navigantibus utilissimus esset, et imperium navis teneret, solum et absque successore ac socio esse.

PARS QUINTA.

COLLOQUIES FROM ERASMUS.

SALUTANDI IN PRIMO CONGRESSU.

Non temere docet quidam, ut *salutemus libenter*, comis enim et blanda salutatio sæpè conciliat amicitiam, inimicitiam diluit; certè mutuam benevolentiam alit augetque. Quidam usque adeò Demeæ sunt, ingenioque agresti, ut vix salutati resalutent. Nonnullis hoc vitii conciliavit educatio veriùs quàm natura.

Urbanitatis est salutare obvios, aut eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratiâ.

Salve pater, salve matercula, salve mi frater, salve præceptor observande, salve multùm mi patrue, salve dulcissime nepos.

Urbanum est addere cognationis aut affinitatis titulum, nisi cùm habet aliquid odii; tum enim præstat abuti minùs quidem propriis, sed plausibilioribus: veluti cùm novercam salutamus matrem, privignum filium, vitricum patrem, sororis maritum fratrem, fratris uxorem sororem. Idem in ætatis aut officiorum titulis faciendum. Gratius enim fuerit si senem patrem, aut virum eximium, salutes, quàm ætatis cognomine; etiam olim honoris causâ dicebatur. Salve præfecte, salve tribune: non autem, Salve caligarie, aut calcearie. Salve adolescens, salve juvenis. Senes ignotos adolescentulos filiorum cognomento salutant; adolescentes vicissim illos patres aut dominos.

HONORIS GRATIA, AUT SECUS.

Salve, here. Ohe, salve tu quoque, bone vir. Salve, vir ornatissime, clarissime. Salve etiam atque etiam, literarum decus. Salve plurimùm amicorum optime. Salve, mi Mæcenas. Salve patrone singularis. Salve, vir spectatissime. Salve, unicum hujus ætatis ornamentum. Salve, Germaniæ delicium. Salvete, quotquot estis, unâ salute omnes. Salvete pariter omnes.

ALIA FORMA.

Salvus sis Crito. Bene tibi sit, vir optime. Et tibi meliùs. Pax tibi, frater, Christiana salutatio est à Judæis profecta, neque tamen repudianda. Similis est, bona vita. Ave, præceptor. Equidem malim *habere* quàm *avere*. Memento te Basileæ esse, non Athenis. Cur tu igitur audes Romanè loqui, cùm Romæ non sis?

VALE IN DIGRESSU.

Valete omnes. Benè vale. Cura ut quàm rectissimè valeas. Valetudinem tuam cura diligenter. Jubeo te benè valere. Jam me tempus aliò vocat, tu valebis. Valeto quàm optimè. Vale pancraticè, aut si mavis athleticè. Vale ut dignus es. Vale ut meritus es. In hoc biduum valebis. Si me dimittis, valebis in crastinum. Numquid vis? Est aliud quod me velis? Nihil, nisi ut prosperè valeas. Da operam ut sis prosperâ valetudine. Age curam valetudinis tuæ. Habe curam salutis tuæ. Fac ut proximo congressu te lætum ac nitidum videamus. Jubeo te curare cuticulam. Cura ut sit mens sana in corpore sano. Da operam ut totus valeas, tum corpore, tum animo. Dabitur quidem opera. Valebis tu quoque. Tibi vicissim precor prosperam valetudinem.

SALUTANDI PER ALIUM.

Frobenium jubebis meo nomine salvere plurimùm. Erasmiolum item meâ causâ salutabis diligenter. Tum matri Gertrudi quàm potes officiosissimè ex me salutem

dicito. Dic me omnibus omnia læta precari. Salutabis mihi sodalitatem diligenter. Amicos omnes meis verbis salutato. Uxori salutem ex me annunciabis. Fratri tuo in literis tuis meo nomine salutem ascribes. Mei vice salutabis affinem meum. Nunquid tuis mandas per me? Ut rectè valeant. Estne quod velis ad tuos perferri me nuncio? Multam salutem omnibus, sed præcipuè patri. Sunt quos per me tuo nomine velis salutatos? Omnes qui de me percontabuntur. Salutem quam mihi ab amicis attulisti, illis multo cum fœnore referes. Quorum nomine mihi salutem attulisti, eos omnes meâ gratiâ vicissim salutabis accuratè.

COLLOQUY I.

PETRUS, MIDA, JODOCUS.

Petrus. Heus, heus, puer; nemon' huc prodit?

Mida. Hic opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput. Quid affers, mi Petre?

Pe. Meipsum.

Mi. Næ tu rem haud magni pretii huc attulisti.

Pe. Atqui magno constiti patri meo.

Mi. Credo pluris quàm revendi possis.

Pe. Cæterùm, Jodocus estne domi?

Mi. Incertus sum, sed visam.

Pe. Quin tu potiùs abi, et roga ipsum an velit nunc esse domi.

Mi. Abi tu potiùs, sisque tibi ipsi Mercurius.

Pe. Heus, Jodoce, num es domi?

Jodocus. Non sum.

Pe. Impudens, non ego audio te loquentem?

Jo. Imo tu impudentior: Nuper ancillæ tuæ credidi, te non esse domi, et tu non credis mihi ipsi?

Pe. Æquum dicis, par pari relatum.

Jo. Equidem ut *non omnibus dormio*, ità *non omnibus sum domi:* tibi posthac semper ero.

Pe. Sed tu mihi videre cochleæ vitam agere.

Jo. Quî sic?

Pe. Quia perpetuò domi latitas, nec usquam prorepis. Nec secùs atque claudus sutor, jugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis.

Jo. Est quod agam domi, foris nihil est negotii. Et si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot à publico cohibuisset.

Pe. At nunc sudum est, et invitat ad deambulandum. Vide ut blanditur.

Jo. Si prodeambulare lubet, non recuso.

Pe. Planè videtur hoc utendum cœlo.

Jo. Asciscendus est unus aut alter congerro.

Pe. Fiet, modò dicas quos velis.

Jo. Quid si Hugonem?

Pe. Haud multùm interest inter Hugonem et nugonem.

Jo. Agè, placet.

Pe. Quid si Alardum?

Jo. Homo minimè mutus est. Quid auribus diminutum est, linguâ pensat.

Pe. Si videbitur, Nævium adjungemus.

Jo. Siquidem dabitur illius copia nunquam erit fabularum inopia. Placent confabulones, superest ut locum despicias amœnum.

Pe. Ego verò tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum smaragdinum virorem, nec fontium vivas scatebras desiderabis. Dices dignam musis sedem.

Jo. Magnificè polliceris.

Pe. Nimium affixus es libris. Nimium assides libris. Immodico studio teipsum maceras.

Jo. Malim studio macrescere quàm amore.

Pe. At non ideo vivimus ut studeamus, sed ideo studemus ut suaviter vivamus.

Jo. Mihi verò vel immori chartis dulce est.

Pe. Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid voluptati fuit hæc deambulatio?

Jo. Me quidem vehementer oblectavit.

COL. II.

VINCENTIUS, LAURENTIUS.

Vincentius. Libetne decertare saltu?

Laurentius. Ludus iste non convenit pransis.

Vi. Quamobrem?

La. Quia ventris saburra gravat corpus.

Vi. Non admodum sanè iis qui pransi sunt in pædagogio. Nam hi plerumque cœnaturiunt priusquam absolverint prandium.

La. Quod igitur saliendi genus placet?

Vi. Auspicemur ab eo quod est simplicissimum à saltu locustarum, sive mavis ranarum, utrâque tibiâ, sed junctis pedibus. Qui longissimè promoverit cingulum, coronam feret. Hujus ubi erit satietas, aliud atque aliud genus experiemur.

La. Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum: nolim mihi rem esse cum chirurgis.

Vi. Quid si certemus unicâ tibiâ?

La. Iste ludus est Empusæ; valeat.

Vi. Hastæ innixum salire cum primis est elegans.

La. Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Virgilium proposuit et Æneas.

Vi. Verùm, sed idem proposuit et cæstuum certamen, quo non delector.

La. Designa stadium. Hoc loco sit carcer, quercus ista sit meta.

Vi. Sed utinam adesset Æneas, qui proponat et præmia victori.

La. Victori abundè magnum præmium est gloria.

Vi. Victo potiùs dandum erat præmium, solatii gratiâ.

La. Sit igitur victo præmium, ut lappâ coronatus redeat in urbem.

Vi. Equidem non recusârim, si tu præcedas tibiâ canens.

La. Est ingens æstus.

Vi. Nec mirum cùm sit solstitium æstivum.

La. Præstiterat natare.

Vi. Mihi non placet ranarum vita. Animal sum terrestre, non amphibium.

La. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur liberale.

Vi. Imò etiam utile.

La. Ad quid?

Vi. Si fugiendum sit in bello, ibi potissimùm valent qui sese cursu pedum et natatu exercuerunt.

La. Artem narras haudquaquam aspernandam. Neque enim minùs laudis est aliquando bene fugere quam fortiter pugnare.

Vi. Sum planè rudis et imperitus natandi, nec sine periculo versamur in alieno elemento.

La. Sed assuescere oportet, *Nemo nascitur artifex.*

Vi. At ego istius generis artifices permultos audio natâsse, sed non enatâsse.

La. Experieris primùm innixus suberi.

Vi. Nec suberi fido magis quàm pedibus. Si vobis cordi est natatio, spectator esse malo quam certator.

COL. III.

PAULUS, THOMAS, VINCENTIUS, LAURENTIUS, BARTHOLUS.

Paulus. *Trahit sua quemque voluptas.* Mihi placet venatio.

Thomas. Placet et mihi: sed ubi canes? ubi venabula? ubi casses?

Pa. Valeant apri, ursi, cervi et vulpes, nos insidiabimur cuniculis.

Vincentius. At ego laqueos injiciam locustis: insidiabor gryllis.

Laurentius. Ego ranas captabo.

Bartholus. Ego papiliones venabor.

La. Difficile est sectari volantia.

Ba. Difficile, sed pulchrum; nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut cochleas, quia carent alis.

La. Equidem malo insidiari piscibus; est mihi hamus elegans.

Ba. Sed unde parabis escam?

La. Lumbricorum ubique magna est copia.

Ba. Est, si tibi velint prorepere e terra.

La. At ego mox efficiam ut multæ myriades prosiliant.

Ba. Quo pacto? incantamentis?

La. Videbis artem. Imple hanc situlam aquâ. Hos juglandium summos cortices virentes confractos immittito. Hac aquâ perfunde solum. Nunc observa paulisper. Vides emergentes?

Ba. Rem prodigiosam video. Sic olim, opinor, exiliebant armati ex satis serpentis dentibus. Sed plerique pisces delicatioris et elegantioris sunt palati quàm ut escâ tam vulgari capiantur.

La. Novi quoddam insecti genus quo talibus insidiari soleo.

Ba. Tu vide an possis imponere piscibus, ego ranis facessam negotium.

La. Quomodo? reti?

Ba. Non, sed arcu.

La. Novum piscandi genus.

Ba. At non injucundum. Videbis et fateberis.

Vi. Quid si nos duo micemus digitis?

Pa. Ignavum est ac rusticum lusûs genus. Ad focum desidentibus magis convenit quàm in campo versantibus.

Vi. Quid si certemus nucibus?

Pa. Nuces admodum pueris relinquamus, nos grandiusculi sumus.

Vi. Et tamen nihil aliud adhuc quàm pueri sumus.

Pa. Sed quibus decorum est ludere nucibus, iisdem non indecorum est *equitare in arundine longâ.*

Vi. Tu igitur præscribito lusûs genus; sequar quocunque vocâris.

Pa. Et ego futurus sum omnium horarum homo.

COL. IV.

SYLVIUS, JOANNES.

Sylvius. Cur adeò curris, Joannes?

Joannes. Cur *lepus*, ut aiunt, *pro canibus?*

Sy. Quid hoc proverbii est?

Jo. Quia nisi adsuêro in tempore, ante recitatum catalogum, actum est de pelle meâ.

Sy. Hac quidem ex parte nihil est periculi. Modò præterita est quinta. Inspice horologium; manus nondum attigit punctum quod horam ab horâ æquis spatiis dirimit.

Jo. At ego vix habeo fidem horologiis; mentiuntur nonnunquam.

Sy. At mihi fide, qui campanæ vocem audivi.

Jo. Quid loquebatur?

Sy. Horam esse quintam.

Jo. Sed est et aliud unde magìs etiam timeam; reddenda est memoriter hesterna lectio satìs prolixa. Vereor ut possim.

Sy. Commune periculum narras. Nam et ipse vix satis teneo.

Jo. Et nôsti præceptoris sævitiam. Omnis illi noxa capitalis est; nec magìs parcit nostris natibus quàm si corium esset bubulum.

Sy. Verum is non aderit in ludo.

Jo. Quem igitur vicarium constituit?

Sy. Cornelium.

Jo. Strabum illum? Væ nostris natibus! Is vel Orbilio plagosior est.

Sy. Verum dicis, et ideo non rarò sum illius brachio precatus paralysim.

Jo. Non est pium imprecari præceptori: nobis potius cavendum ne incidamus in illius tyranni manus.

Sy. Reddamus inter nos vicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente.

Jo. Pulchrè mones.

Sy. Fac præsenti sis animo; nam metus officit memoriæ.

Jo. Facilè deponerem pavorem si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis possit esse securus animo?

Sy. Fateor; attamen non agitur de capite, sed de parte diversâ.

COL. V.

CHARON, ALASTOR.

Charon. Quid ità properas gestiens, Alastor?

Alastor. Opportunè tu quidem, O Charon; ad te properabam.

Ch. Quid novæ rei?

Al. Nuncium fero tibi Proserpinæque lætissimum futurum.

Ch. Effer igitur quod fers, teque exonera.

Al. Furiæ non minùs gnaviter quàm feliciter gesserunt suum negotium; nullam orbis partem non infecerunt malis tartareis, dissidiis, bellis, latrociniis, pestilentiis, adeò ut planè jam calvæ emissis colubris sint, et exhaustæ venenis obambulent, quærentes quicquid usquam est viperarum et aspidum, quando tam glabræ sunt quam ovum, et pilum non habent in capite, neque quicquam in pectora succi efficacis. Proinde tu fac cymbam ac remos appares; mox enim ventura est tanta umbrarum multitudo, ut verear ne non sufficias omnibus transmittendis.

Ch. Ista nos non fugerant.

Al. Unde rescieras?

Ch. Ossa pertulerat ante biduum.

Al. Ut illâ deâ nihil est velocius! Sed quid tu igitur hîc cessas relictâ cymbâ?

Ch. Ità nimirum res ferebat. Huc profectus sum ut mihi compararem validam aliquam triremem; nam mea cymba jam vetustate putris ac sutilis non suffecerit huic oneri, si vera sunt quæ narravit Ossa. Quanquam quid opus erat Ossâ? Res ipsa compellit; nam naufragium feci.

Al. Nimirum totus distillas, suspicabar te redire balneo.

Ch. Imò enatavi e Stygiâ palude.

Al. Umbras ubi reliquisti?

Ch. Natant cum ranis.

Al. Sed quid narravit Ossa?

Ch. Tres orbis monarchas capitalibus odiis in mutuum

exitium ruere, nec ullam orbis Christiani partem immunem esse a belli furiis; nam tres illi reliquos omnes pertrahunt in belli consortium. Omnes esse talibus animis, ut nemo velit alteri cedere: nec Danum, nec Polonum, nec Scotum, nec verò Turcum interim esse in otio, moliri dira. Pestilentiam ubique sævire, apud Hispanos, apud Britannos, apud Italos, apud Gallos. Ad hæc novam esse lucem ex opinionum varietate natam, quæ sic vitiavit omnium animos, ut nulla usquam sit sincera amicitia, sed frater fratri dissideat, nec uxori cum marito conveniat. Spes est hinc quoque nascituram olim magnificam hominum perniciem, si res à linguis et calamis ad manus pervenerit.

Al. Hæc omnia verissimè narravit Ossa; nam ipse plura vidi his oculis, assiduus comes et adjutor Furiarum, quæ nullo tempore magis declarârunt se suo dignas nomine.

Ch. Atqui periculum est, ne quis dæmon exoriatur qui subitò adhortetur ad pacem; et sunt mortalium animi mutabiles; nam audio apud superos, esse Polygraphum quendam, qui calamo suo non desinit insectari bellum, et ad pacem cohortari.

Al. Ille jampridem surdis canit. Olim scripsit pacis profligatæ quærimoniam; nunc eidem extinctæ scripsit epitaphium. Sunt alii contrà qui non minùs juvent rem nostram quàm ipsæ Furiæ.

Ch. Quinam isti?

Al. Sunt animalia quædam pullis et candidis palliis, cineraceis tunicis, variis ornata plumis; hæc nunquam recedunt ab aulis principum, instillant in aurem amorem belli, hortantur eodem proceres ac plebem, in evangelicis illis concionibus clamitant, bellum esse justum, sanctum ac pium. Quoque magis mireris hominum fortem animum, clamitant idem apud utramque partem. Apud Gallos concionantur deum stare pro Gallis, nec vinci posse qui deum habeat protectorem; apud Anglos et Hispanos, hoc bellum non a Cæsare geri, sed a deo; tantùm præbeant se viros fortes, victoriam esse certam. Quod si quis interciderit, eum non perire, sed rectà subvolare in cœlum sicut erat armatum.

Ch. Et habetur istis tanta fides?

Al. Quid non potest simulata religio? Accedit huc juventus, rerum imperitia, gloriæ sitis, ira, animus ad id quò vocatur naturâ propensus. His facilè imponitur, nec difficilè perpellitur plaustrum suâpte sponte propendens ad ruinam.

Ch. Ego istis animalibus lubens aliquid boni fecero.

Al. Appara lautum convivium; nihil potes gratius.

Ch. Ex malvis, lupinis et porris; nam apud nos non alia est, ut scis, annona.

Al. Imò ex perdicibus, capis et phasianis, si vis esse gratus convivator.

Ch. Sed quæ res istos movet ut tantopere promoveant bellum; aut quid hinc metunt commodi?

Al. Quia plus emolumenti capiunt e morientibus quàm ex vivis. Sunt testamenta parentalia, bullæ, multaque alia non aspernanda lucra; denique, malunt in castris versari quam in suis alvearibus. Bellum multos gignit Episcopos, qui in pace ne teruncii quidem fiebant.

Ch. Sapiunt.

Al. Sed quid opus est triremi?

Ch. Nihil, si velim in mediâ palude rursus naufragium facere.

Al. Ob multitudinem?

Ch. Scilicet.

Al. Atqui umbras vehis, non corpora. Quantulum autem ponderis habent umbræ?

Ch. Sint tipulæ, tamen tipularum tanta vis esse potest ut onerent cymbam. Tum, scis et cymbam umbratilem esse.

Al. At ego memini videre me, cùm esset ingens turba, nec cymba caperet omnes a clavo tuo tria millia umbrarum pendere nonnunquam, nec tū pondus ullum sentiebas.

Ch. Fateor tales esse animas quæ paulatim demigrârunt è corpore phthisi aut hecticâ tenuato. Cæterum quæ subito revelluntur a crasso corpore multum corporeæ molis secum ferunt. Tales autem mittit apoplexia, synanche, pestilentia, sed præcipuè bellum.

Al. Non opinor Gallos aut Hispanos adferre multum ponderis.

Ch. Multò minus quam cæteri, quanquam et horum animæ non omnino veniunt plumeæ. Cæterum e Britannis, e Germanis bellè pastis, veniunt aliquoties tales ut nuper periclitatus sim decem duntaxat vehens, et nisi jacturam fecissem, perieram unà cum cymba, vectoribus et naulo.

Al. Ingens discrimen!

Ch. Quid interea censes fieri cùm accedunt crassi satrapæ, thrasones et polymachæro placidæ?

Al. Ex his qui pereunt in justo bello nullum arbitror ad te venire; nam aiunt eos rectâ subvolare in cœlum.

Ch. Quò subvolant nescio; unum illud scio, quoties bellum est, tot ad me veniunt saucii lacerique, ut demirer ullum superesse apud superos. Nec solùm veniunt onustæ crapulâ et abdomine, verùm etiam bullis sacerdotiis, aliisque rebus plurimis.

Al. At ista non deferunt secum, sed nudæ veniunt ad te.

Ch. Verùm; sed quæ recentes veniunt, somnia talium rerum secum adferunt.

Al. Itàne gravant somnia?

Ch. Gravant cymbam meam: quid dixi? gravant? jam demerserunt. Postremò, tot obolos putas nihil habere sarcinæ?

Al. Equidem arbitror, si ferant æreos.

Ch. Proinde certum est mihi prospicere de navi quæ sufficiat oneri.

Al. O te felicem!

Ch. Quid ità?

Al. Quia propediem ditesces.

Ch. Ob multitudinem umbrarum?

Al. Næ.

Ch. Siquidem suas opes secum adferant. Nunc qui in cymba deplorant se apud superos reliquisse regna, præsulatus, abbatias, auri talenta innumera, ad me nihil adferunt præter obolum. Itaque quod jam annis ter mille mihi corrasum est, id totum est effundendum in unam triremem.

Al. Sumptum faciat oportet qui quærit lucrum.

Ch. Atqui mortales, ut audio, feliciùs negotiantur, qui favente Mercurio ditescunt intra triennium.

Al. Sed iidem decoquunt nonnunquam. Tuum lucrum minus, sed certius.

Ch. Nescio quam certum; si quis deus nunc exoriatur qui res principum componat, sors hæc tota mihi perierit.

Al. Istâ quidem de re jubeo ut me sponsore in utramque aurem dormias. Intra decennium totum nihil est quòd pacem metuas. Unus Romanus pontifex sedulò quidem hortatur ad concordiam, sed laterem lavat. Murmurant et civitates tædio malorum: conferunt susurros populi nescio qui, dictitantes iniquum, ut ob privatas iras aut ambitionem duorum triumve, res humanæ sursum deorsum misceantur: sed vincent, mihi crede, quamlibet recta consilia, Furiæ. Cæterùm quid opus erat hac gratiâ petere superos? An apud nos non sunt fabri? Certè Vulcanum habemus.

Ch. Pulchrè, si quæram navem æream.

Al. Minimo accersetur aliquis.

Ch. Itá est, sed deficit nos materia.

Al. Quid audio? Nihil illic sylvarum?

Ch. Etiam nemora quæ fuerant in campis Elysiis absumpta sunt.

Al. In quem tandem usum?

Ch. Exurendis hæreticorum umbris, adeò ut nuper coacti simus e terræ visceribus carbones effodere.

Al. Quid? an istæ umbræ non possunt minore sumptu puniri?

Ch. Sic visum est Rhadamantho.

Al. Ubi triremem mercatus eris? unde remiges parabuntur?

Ch. Meæ partes sunt tenere clavum, remigent umbræ, si velint trajicere.

Al. At sunt quæ non didicerunt remum agere.

Ch. Apud me nullus est eximius; remigant et monarchæ, remigant et cardinales, suam quisque vicem, non minùs quam plebeii tenues, sive didicerint sive non didicerint.

Al. Tu fac dextro Mercurio feliciter mergere triremem. Ego non te remorabor diutiùs. Orco lætum adferam nuncium. Sed heus, heus, Charon!

Ch. Quid est?

Al. Fac matures reditum, ne te mox obruat turba.

Ch. Imò jam plus quam ducenta millia offendes in ripâ, præter illas quæ natant in palude. Properabo tamen quantum licebit: dic illis me mox adfuturum.

COL. VI.

NEPHALIUS, PHILYPNUS.

Nephalius. Hodie te conventum volebam, Philypne, sed negabaris esse domi.

Philypnus. Non omnino mentiti sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram maximè.

Ne. Quid isthuc ænigmatis est?

Ph. Nôsti illud vetus proverbium, *Non omnibus dormio;* nec te fugit ille Nasicæ jocus cui cum Ennium familiarem invisere volenti ancilla jussu heri negâsset esse domi, sensit Nasica, et discessit; cæterum ubi vicissim Ennius, Nasicæ domum ingressus, rogaret puerum num esset intus, Nasica de conclavi clamavit, non, inquiens, sum domi; cumque Ennius agnitâ voce dixisset, Impudens, non te loquentem agnosco? Imò tu, inquit Nasica, impudentior, qui mihi ipsi fidem non habeas, cum ego crediderim ancillæ tuæ.

Ne. Eras fortassis occupatior.

Ph. Imò suaviter otiosus.

Ne. Rursum ænigmate torques.

Ph. Dicam igitur explanatè, nec aliud dicam ficum quam ficum.

Ne. Dic.

Ph. Altùm dormiebam.

Ne. Quid ais? Atqui jam præterierat octava, cùm sol hoc mense surgat ante quartam.

Ph. Per me quidem soli liberum est vel mediâ nocte surgere, modò mihi liceat ad satietatem usque dormire.

Ne. Verùm isthuc utrùm casu accidit, an consuetudo est?

Ph. Consuetudo prorsus.

Ne. Atqui rei non bonæ consuetudo pessima est?

Ph. Imò nullus somnus est suavior quàm post exortum solem.

Ne. Quâ tandem horâ soles lectum relinquere?

Ph. Inter quartam et nonam.

Ne. Satis amplum spatium: vix tot horis comuntur reginæ; sed unde venisti in istam consuetudinem?

Ph. Quia solemus convivia, lusus et jocos in multam proferre noctem, id dispendii matutino somno pensamus.

Ne. Vix unquam vidi hominem te perditiùs prodigum.

Ph. Mihi parsimonia videtur magis quam profusio: interim nec candelas absumo, nec vestes detero.

Ne. Præpostera sanè parsimonia, servare vitrum ut perdas gemmas. Aliter sapuit ille philosophus, qui rogatus quid esset pretiosissimum, respondit, tempus. Porro, cùm constet diluculum esse totius diei partem optimam, tu quod in re pretiosissimâ pretiosissimum est gaudes perdere.

Ph. An hoc perit quod datur corpusculo?

Ne. Imò detrahitur corpusculo, quod tum suavissimè afficitur maximèque vegetatur cùm tempestivo moderatoque somno reficitur, et matutinâ vigiliâ corroboratur.

Ph. Sed dulce est dormire.

Ne. Quid esse potest dulce nihil sentienti?

Ph. Hoc ipsum dulce est, nihil sentire molestiæ.

Ne. Atqui isto homine feliciores sunt qui dormiunt in sepulchris; nam dormienti nonnunquam insomnia molesta sunt.

Ph. Aiunt eo somno maximè saginari corpus.

Ne. Ista glirium sagina est, non hominum. Rectè saginantur animalia quæ parantur epulis: homini quorsum attinet accersere obesitatem, nisi ut graviore sarcinâ onustus incedat? Dic mihi, si famulum haberes, utrùm obesum malles, an vegetum et ad omnia munia habilem?

Ph. Atqui non sum famulus.

Ne. Mihi sat est quod ministrum officiis aptum malles quàm bene saginatum.

Ph. Plane mallem.

Ne. At Plato dixit *Animum hominis hominem* esse. corpus nihil aliud esse quàm domicilium aut instrumentum. Tu certe fateberis, opinor, animum esse principalem hominis portionem, corpus animi ministrum.

Ph. Esto, si vis.

Ne. Cùm tibi nolles ministrum abdomine tardum, sed agilem malles et alacrem, cur animo paras ministrum ignavum et obesum?

Ph. Vincor veris.

Ne. Jam aliud dispendium accipe: ut animus longè præstat corpori, ità fateris opes animi longè præcellere bona corporis.

Ph. Probabile dicis.

Ne. Sed inter animi bona primas tenet sapientia.

Ph. Fateor.

Ne. Ad hanc parandam nulla diei pars utilior quàm diluculum, cùm sol novus exoriens vigorem et alacritatem adfert rebus omnibus, discutitque nebulas e ventriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare.

Ph. Non repugno.

Ne. Nunc mihi supputa quantum eruditionis tibi parare possis quatuor illis horis quas somno intempestivo perdis.

Ph. Profectò multum.

Ne. Expertus sum, in studiis plus effici unâ horâ matutinâ quàm tribus pomeridianis, idque nullo corporis detrimento.

Ph. Audivi.

Ne. Deinde illud reputa, si singulorum dierum jacturam in summam conferas, quantus sit futurus cumulus.

Ph. Ingens profectò.

Ne. Qui gemmas et aurum temerè profundit, prodigus habetur, et tutorem accipit: hæc bona tanto pretiosiora qui perdit, nonne multo turpiùs prodigus est?

Ph. Sic apparet, si rem rectâ ratione perpendamus.

Ne. Jam illud expende quod scripsit Plato, *Nihil esse pulchrius, nihil amabilius sapientiâ: quæ si corporeis oculis cerni posset, incredibiles sui amores excitaret.*

Ph. Atqui illa cerni non potest.

Ne. Fateor, corporeis oculis; verum cernitur oculis animi, quæ pars est hominis potior. Et ubi amor est incredibilis, ibi summa voluptas adsit oportet, quoties animus cum tali amicâ congreditur.

Ph. Verisimile narras.

Ne. I nunc et somnum, mortis imaginem, cum hac voluptate commuta, si videtur.

Ph. Verum interim pereunt nocturni lusus.

Ne. Bene pereunt, quæ pejora melioribus, inhonesta præclaris, vilissima pretiosissimis permutantur. Bene perdit plumbum, qui illud vertit in aurum. Noctem natura somno tribuit; sol exoriens cum omne animantium genus, tum præcipuè hominem, ad vitæ munia revocat. *Qui dormiunt*, inquit Paulus, *nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* Proinde quid turpius quàm cùm omnia animantia cum sole expergiscantur, quædam etiam illum nondum apparentem, sed adventantem, cantu salutent, cùm elephantus solem orientem adoret, hominem diù post solis exortum stertere? Quoties aureus ille splendor illustrat cubiculum tuum, nonne videtur exprobrare dormienti. "Stulte, quid optimam vitæ tuæ partem gaudes perdere? non in hoc luceo, ut abditi dormiatis, sed ut rebus honestissimis invigiletis. Nemo lucernam accendit ut dormiat, sed ut aliquid operis agat: et ad hanc lucernam omnium pulcherrimam nihil aliud quam stertis?"

Ph. Bellè declamas.

Ne. Non bellè, sed verè. Age, non dubito quin frequenter audiveris illud Hesiodi, *Sera in fundo parsimonia.*

Ph. Frequentissimè. Nam in dolii medio vinum est optimum.

Ne. Atqui in vitâ prima pars, nimirum adolescentia, est optima.

Ph. Profectò sic est.

Ne. At diluculum hoc est diei, quod adolescentia vitæ. An non igitur stultè faciunt qui adolescentiam nugis, matutinas horas somno perdunt?

Ph. Sic apparet.

Ne. An est ulla possessio quæ cum hominis vitâ sit conferenda?

Ph. Ne universa quidem Persarum gaza.

Ne. Annon vehementer odisses hominem, qui tibi vitam posset ac vellet malis artibus ad annos aliquot decurtare?

Ph. Illi mallem ipse vitam eripere.

Ne. Verum pejores ac nocentiores arbitror, qui sibi volentes reddunt vitam breviorem.

Ph. Fateor, si qui tales reperiantur.

Ne. Reperiantur? Imò id faciunt omnes tui similes.

Ph. Bona verba.

Ne. Optima. Sic tuo animo reputa; nonne videtur rectissimè dixisse Plinius, *Vitam esse vigiliam, et hoc pluribus horis hominem vivere, quò majorem temporis partem impenderit studiis?* Somnus enim mors quædam est. Unde ab inferis venire fingitur, et ab Homero *mortis germanus* dictus est. Itaque quos somnus occupat, nec inter vivos nec inter mortuos, censentur; sed tamen potius inter mortuos.

Ph. Ita videtur omnino.

Ne. Nunc mihi rationem subducito, quantam vitæ portionem sibi resecant qui singulis diebus tres aut quatuor horas perdunt somno.

Ph. Video summam immensam.

Ne. Nonne pro deo haberes alchymistam qui posset decem annos vitæ summæ adjicere, et provectiorem ætatem ad adolescentiæ vigorem revocare?

Ph. Quidni habeam?

Ne. Sed hoc tam divinum beneficium ipse tibi præstare potes.

Ph. Quî sic?

Ne. Quia mane diei est adolescentia, usque ad meridiem fervet juventus, mox virilis ætas, cui succedit pro senecta vesper, vesperam excipit occasus, velut diei mors. Magnum autem vectigal parsimonia est, sed nusquam magis quam hîc. Annon igitur ingens lucrum sibi adjunxit qui magnam vitæ partem, eamque optimam perdere desiit?

Ph. Vera prædicas.

Ne. Proinde videtur admodum impudens eorum querimonia qui naturam accusant quòd hominis vitam tam angustis spatiis finierint, cùm ipsi ex eo quod datum est sibi sponte tantum amputent. Satis longa est cuique vita, si parcè dispensetur, nec mediocris profectus est, si quis suo quæque tempore gerat. A prandio vix semihomines sumus, cùm corpus cibis onustum aggravat mentem: nec tutum est spiritus ab officinâ stomachi, concoctionis officium peragentes, ad superiora evocare, a cœnâ multò minus. At matutinis horis, homo totus est homo; dum habile est ad omne ministerium corpus, dum alacer viget animus, dum omnia mentis organa tranquilla sunt ac serena, dum auræ divinæ, ut ait ille, particula spirat, et sapit originem suam, et rapitur ad honesta.

Ph. Eleganter tu quidem concionaris.

Ne. Apud Homerum audit Agamemnon, opinor, "Haud decet in totam consultum stertere noctem;" quanto turpius est tantam diei partem somno perdere?

Ph. Verum sed consulto; ego non sum dux exercitûs.

Ne. Si quid aliud carius est quàm ipse tibi, ne quid te moveat Homeri sententia. Faber ærarius ob vile lucellum surgit ante lucem; et nos amor sapientiæ non potest expergefacere, ut saltem solem ad lucrum inæstimabile evocantem audiamus? Medici non ferè dant pharmacum nisi diluculo; illi nôrunt horas aureas, ut subveniant corpori: nos eas non novimus, ut locupletemus ac sanemus animum? Quod si hæc leve pondus habent apud te, audi quid apud Solomonem loquatur illa cœlestis sapientia. *Qui mane,* inquit, *vigilaverint ad me, invenient me.* Jam in mysticis psalmis quanta matutini temporis commendatio? *Manè propheta extollit domini misericordiam; manè exauditur vox ejus; manè illius deprecatio prævenit dominum.* Et apud Lucam evangelistam populus sanitatem ac doctrinam expetens a domino, manè ad illum confluit. Quid suspiras, Philypne?

Ph. Vix lacrymas teneo, cùm subit quantam vitæ jacturam fecerim.

Ne. Supervacaneum est ob ea discruciari quæ non

revocari, sed tamen posterioribus curis sarciri possunt. Huc igitur incumbe potius quàm ut præteritorum inani deploratione futuri quoque temporis jacturam facias.

Ph. Bene mones: sed me jam sui juris fecit diutina consuetudo.

Ne. Phy! *Clavus clavo pellitur*, consuetudo consuetudine vincitur.

Ph. At durum est ea relinquere quibus diu assueveris.

Ne. Initio quidem; sed eam molestiam diversa consuetudo, primùm lenit, mox vertit in summam voluptatem, ut te brevis molestiæ non oporteat pœnitere.

Ph. Vereor ut succedat.

Ne. Si septuagenarius esses non retraherem te a solitis; nunc vix decimum septimum, opinor, annum egressus es. Quid autem est quod ista ætas non possit vincere, si modò adsit promptus animus?

Ph. Equidem aggrediar, conaborque ut ex Philypno fiam Philologus.

Ne. Id si feceris, mi Philypne, sat scio, post paucos dies, et tibi seriò gratulaberis, et mihi gratias ages qui monuerim.

COL. VII.

ALBERTUS, BARTHOLINUS, CAROLUS, DIONYSIUS, ÆMYLIUS, FRANCISCUS, GYRALDUS, HIERONYMUS, JACOBUS, LAURENTIUS.

Albertus. Vidistine unquam hoc horto quicquam amœnius?

Bartholinus. Vix opinor in insulis fortunatis esse quicquam jucundius.

Carolus. Plane mihi videtur videre paradisum, cui custodem cultoremque, deus præfecerat Adamum.

Dionysius. Hic vel Nestor vel Priamus posset repubescere.

Franciscus. Imò vel mortuus reviviscere.

Gyraldus. Adderem lubens, si quid possem, tuæ hyberbolæ.

Hieronymus. Profectò miris modis arrident omnia.

Jacobus. Oportet hunc hortum aliquâ compotatiunculâ dedicare.

Laurentius. Rectè monet noster Jacobus.

Al. Talibus mysteriis jam olim initiatus est hic locus. Verùm scitote nihil hîc esse unde vobis merendam exhibeam, nisi placet *absque vino* compotatio: lactucas apponam absque sale, aceto et oleo, vini guttula non est, nisi quod gignit hic puteus. Ne panis quidem adest aut poculum, et ea est anni pars quæ magis pascit oculos quàm ventrem.

Ba. Sed habes tabulas lusorias, habes sphæras: lusu dicabimus hortum, si minus licet convivio.

Al. Quoniam tam belli homunculi convenimus; habeo quiddam quod vel lusum vel convivium possis dicere, meâ sententiâ multò dignius ad hunc hortum initiandum.

Ca. Quodnam?

Al. Suum quisque symbolum conferat; non deerit lautum, nec minùs suave convivium.

Æmylius. Quid adferimus, qui vacui huc venerimus?

Al. Vacui, qui tantum opum circumferatis in pectore?

Fr. Expectemus quid velis.

Al. Proferat in medium quod quisque per hanc hebdomadam legit elegantissimum.

Gy. Rectè mones; nihil vel hujusmodi conviviis, vel te convivatore, vel hoc loco dignius. Te hujus consilii ducem sequemur omnes.

Al. Nil recuso, si vobis ita videtur. Hodie vehementer delectavit animum meum in homine non christiano tam christiana sententia. Phocion enim, quo vix alius apud Athenienses fuit vir sanctior publicæque utilitatis studiosior, cum per invidiam damnatus esset bibiturus cicutam, rogatus ab amicis quid vellet etiamnum mandari filiis suis, *Ne hujus*, inquit, *injuriæ velint unquam meminisse*.

Ba. Tam insignis patientiæ exemplum vix hodie reperias inter Dominicanos et Franciscanos. Itaque simile referam, quando par non possum. Aristides Phocioni simillimus erat moribus incorruptissimis, adeo ut vulgus illi *Justi* tribuerit cognomen. Ob hujus cognominis invidiam,

vir optimè de republica meritus ostracismo populi jussus est vertere solum. Posteaquam intellexerat populum non aliâ re offensum quàm justi cognomento, cùm alioqui rem semper expertus esset sibi salutarem, paruit æquo animo. In exilio rogatus ab amicis, quid precaretur ingratissimæ civitati; *Nihil aliud*, inquit, *nisi tantam rerum prosperitatem, ut illis nunquam in mentem veniat Aristides.*

Ca. Mirum si christianos non pudet sui, ad quamvis levem injuriam excandescentes ac vindictam per fas nefasque molientes. Tota Socratis vita nihil aliud mihi videtur quàm temperantiæ ac tolerantiæ exemplum. Sed ne planè sim asymbolus, unum referam quod mihi præ cæteris arrisit. Eunti publicâ viâ improbus quispiam colaphum impegit; cum id tacitus ferret Socrates, amici quidam hortati sunt ad ultionem. At ille, *quid percussori faciam?* inquit. *Voca*, inquiunt, *in jus*. *Ridiculum!* inquit: *si me asinus calcibus percussisset, num vobis auctoribus asinum in jus traham?* significans improbum scurram nihilo potiorem asino, et infimi animi esse, non posse ferre contumeliam ab homine vecordi quam ferret ab animali bruto.

Di. Pauciora sunt in Romanis annalibus exempla moderationis, nec ea perinde insignia; neque enim opinor magnam habere laudem tolerantiæ, si quis parcat devictis, et debellet superbos. Non arbitror tamen indignum memoratu, quod Cato senior, cùm Lentulus quidam in os illi sputum et oris purulentiam injecisset, nihil aliud responderit quam, *Postuac habeo quod illis respondeam qui negant tibi esse os.* Os autem a Latinis habere negantur quos nihil pudet; itaque jocus ex ambiguo.

Am. Aliis arrident alia: mihi inter Diogenis dicta, præclara quidem omnia, nihil magis adblanditur, quàm quod roganti cuidam, quo pacto maximè possit ulcisci inimicum. *Si te ipsum*, inquit, *quam maximè probum et honestum virum præstiteris.* Demiror quis deus illi tales cogitationes miserit in mentem. Videtur autem et Aristotelis dictum valde consentaneum Paulino dogmati; qui rogatus a quodam, *quid fructûs sua illi philosophia attulisset? Ut meâ*, inquit, *sponte ea faciam quæ plerique legum metu coacti*

faciunt. Docet enim Paulus, eos quos afflavit christiana charitas non esse legi obnoxios, eò quod plus præstant suâpte sponte quàm lex metu pœnæ possit extorquere.

Fr. Christus, Judæis obmurmurantibus, quòd cum publicanis et peccatoribus haberet etiam mensæ familiaritatem, respondit, *Non esse opus medico iis qui rectè valerent, sed qui minùs essent prosperâ valetudine.* Non abhorret hinc quod apud Plutarchum dixit Phocion, qui cum reprehenderetur quòd homini illaudato improboque patrocinatus esset in judicio non minùs festiviter quàm clementer, *Quidni,* inquit, *quando nemo probus indiget tali patrocinio.*

Gy. Et istud christianæ bonitatis exemplum est, ad exemplum æterni patris, et probis et improbis quantum licet benefacere, qui solem suum oriri jubet, non solùm piis, sed etiam impiis. Verùm admirabilius forsitan erit in rege moderationis exemplum. Cum Demochares, Demosthenis nepos, Atheniensium nomine legatione fungeretur apud Philippum Macedonum regem, et impetratis quæ volebat a rege dimitteretur, humaniter interrogante si quid præterea vellet; *Ut teipsum suspendas,* inquit Demochares. Vox impotens odium arguebat; rex erat, et bene meritus, in quem jaciebatur convicium: nec tamen incanduit; tantùm ad collegas conversus, *Vos,* inquit, *hæc renunciate populo Atheniensi, quò re cognitâ judicet utrum nostrûm existimet præstantiorem, me, qui hæc patienter audierim, an istum qui hæc dixit.* Ubi nunc sunt orbis monarchæ, qui se diis pares putant, et ob verbum inter pocula dictum atrocia bella concitant?

Hi. Magnos impetus habet gloriæ sitis, multosque transversos agit hic affectus. Ex eorum numero quidam Socratem interrogabat, quâ viâ sibi posset compendio honestissimam comparare famam, *Si talem,* inquit, *præstiteris teipsum qualis haberi vis.*

Ja. Profectò non video quid dici possit vel brevius vel absolutius. Fama non est affectanda, sed ea virtutem ultro comitatur, quemadmodum improbitatem infamia. Vos admiremini viros, mihi puella Lacæna placuit, quæ cum in auctione venderetur, licitator quidam adiit illam, *Quid?*

inquiens, *num proba futura es, si te mercatus fuero?* *etiam*, inquit illa, *si tu non fueris mercatus*; indicans sese non in cujusquam gratiam probitatem servare, sed suopte ingenio virtutem ipsius gratiâ sectari, quòd *virtus ipsa sui pretium est.*

La. Masculam sanè vocem edidit puella. Cæterum insigne mihi videtur exemplum adversus fortunam quamlibet blandientem constantiæ, quòd cùm Philippo Macedonum regi tres eximiæ felicitates eodem die nunciarentur, quòd in Olympiis vicisset, quòd dux exercitus Parmenio prælio superâsset Dardanos, quòd uxor Olympias ipsi filium esset enixa, sublatis in cœlum manibus precatus est, ut *Deus tantam prosperitatem pateretur levi quopiam infortunio expiari.*

Al. Hodie nulla est tanta prosperitas cujus invidiam metuat quispiam; sed perinde jactant, si quid successerit, quasi vel mortua vel surda esset Nemesis. Hæc merenda si vobis placet, hic hortulus eam vobis quoties volueritis exhibebit, quem hoc colloquio non minùs jucundo quàm frugifero dicâstis.

Ba. Profectò nec Apicius potuisset discum suaviorem apponere. Quare nos expectabis frequenter, modò boni consulas quod nunc attulimus; non quæ digna erant tuis auribus, sed quæ non præmeditatis venerunt in mentem. Meditati lautiora proferemus.

Al. Hòc eritis gratiores.

COL. VIII.

EUSEBIUS, PAMPIRUS, POLYGAMUS, GLYCION.

Eusebius. Quas novas aves hîc video? Nisi animus fallit me, aut oculi parum prospiciunt, video tres veteres congerrones meos considentes, Pampirum, Polygamum et Glycionem. Certe sunt ipsi.

Pampirus. Quid tibi vis cum tuis vitreis oculis, fascinator? Congredere propius, Eusebi.

Polygamus. Salve, multùm exoptate Eusebi.

Glycion. Benè sit tibi, vir optime.

Eu. Salvete vos omnes unâ salute, pariter mihi carissima capita. Quis deus aut casus deo felicior nos conjunxit? nam nemo nostrûm vidit alium annis, opinor, jam quadraginta. Mercurius caduceo suo non potuisset meliùs nos in unum contrahere. Quid hîc agitis?

Pa. Sedemus.

Eu. Video, sed quâ de causâ?

Po. Opperimur currum qui nos devehat Antverpiam.

Eu. Ad mercatum?

Po. Scilicet; sed spectatores, magis quàm negotiatores: quanquam aliis aliud est negotii.

Eu. Et nobis eodem est iter; verùm quid obstat, quò minùs eatis?

Po. Nondum convenit cum aurigis?

Eu. Difficile genus hominum; sed vultisne ut illis imponamus?

Po. Liberet, si liceret.

Eu. Simulemus nos velle simul abire pedites.

Po. Citius credant cancros volaturos, quàm nos tam grandes pedibus hoc iter confecturos.

Gl. Vultis rectum verumque consilium?

Po. Maximè.

Gl. Illi potant; id quo faciunt diutius, hoc plus erit periculi necubi nos dejiciant in lutum.

Po. Admodum diluculo venias oportet si sobrium aurigam velis.

Gl. Quo maturiùs perveniamus Antverpiam, nobis quatuor solis currum stipulemur. Contemnendum censeo tantillum pecuniæ; hoc damni multis commoditatibus pensabitur, sedebimus commodiùs, ac mutuis fabulis suavissimè transigemus hoc iter.

Po. Rectè suadet Glycion, ut in vehiculo quoque jucundus comes pro vehiculo sit; quin et, juxta Græcorum proverbium liberiùs loquemur, non de plaustro sed in plaustro.

Gl. Transegi; conscendamus. Vah! nunc mihi libet vivere, posteaquam ex tanto intervallo videre contigit mihi carissimos olim sodales.

Eu. Ac mihi videor repubescere.

Po. Quot annos supputatis, ex quo Lutetiæ conviximus?

Eu. Arbitror, haud pauciores quadraginta duobus.

Pa. Tum videbamur omnes æquales.

Eu. Ita fermè eramus, aut si quid erat discriminis, perpusillum erat.

Pa. At nunc quanta inæqualitas! Nam Glycion nihil habet senii, et hujus avus videri queat Polygamus.

Eu. Profectò sic res habet. Quid rei in causâ?

Pa. Quid? aut hic cessavit, ac restitit in cursu, aut ille antevertit.

Eu. Ohe! non cessant anni quantumvis cessent homines.

Po. Dic bonâ fide, Glycion, quot annos numeras?

Gl. Plures quàm ducatos.

Po. Quot tandem?

Gl. Sexaginta sex.

Eu. O verè Tithoni senectus, quod aiunt.

Po. Sed quibus tandem artibus remoratus es senectutem? Nam neque canities adest, neque rugosa cutis; vigent oculi, nitet utrinque dentium series, color vividus est, corpus succulentum.

Gl. Dicam artes meas, modò tu vicissim narres nobis artes tuas, quibus senectutem accelerâsti.

Po. Recipio me facturum. Dic igitur, quò te contulisti, relictâ Lutetiâ?

Gl. Rectâ in patriam. Illic commoratus ferè annum, dispicere cœpi de deligendo vitæ genere; quam ego rem non leve momentum habere credo ad felicitatem. Circumspiciebam quid cuique succederet, quid secus.

Po. Miror tibi tantum fuisse mentis, cum Lutetiæ nihil fuerit te nugacius.

Gl. Tum ferebat ætas; et tamen, O bone, non hîc meo Marte rem omnem gessi.

Po. Mirabar.

Gl. Priusquam quidquam aggrederer, adii quendam e civibus, natu grandem, longo rerum usu prudentissimum, totiusque civitatis testimonio probatissimum ac meo quidem judicio etiam felicissimum.

Eu. Sapiebas.

Gl. Hujus usus consilio duxi uxorem.

Po. Pulchrè dotatam?

Gl. Dote mediocri; ac planè, juxta proverbium, quæ erat pro meâ sorte; nam et mihi res erat mediocris. Ea res mihi planè cessit ex animi sententiâ.

Po. Quot annos tum eras natus?

Gl. Viginti fermè duos.

Po. O te felicem!

Gl. Non totum hoc fortunæ debeo, ne quid erres.

Po. Quî sic?

Gl. Dicam; alii prius diligùnt quàm deligant, ego judicio delegi quàm diligerem; et tamen hanc magis duxi ad posteritatem quam ad voluptatem. Cum eâ vixi suavissimè annos non plures octo.

Po. Reliquit orbum?

Gl. Imò, superest quadriga liberorum; filii duo, filiæ totidem.

Po. Privatusne vivis an magistratu fungeris?

Gl. Est mihi munus publicum. Poterant contingere majora, verùm hoc mihi delegi, quod tantum haberet dignitatis, ut me vindicaret a contemptu, cæterùm minimè molestis negotiis obnoxium. Ita nec est quod quisquam objiciat me mihi vivere, et est unde nonnunquam et amicis dem operam. Hoc contentus nihil unquam magis ambii: verùm sic gessi magistratum, ut illi ex me dignitas accreverit. Hoc ego pulchrius duco quàm ex muneris splendore dignitatem mutuò sumere.

Eu. Nihil verius.

Gl. Sic inter cives meos consenui, carus omnibus.

Eu. Isthuc verò difficillimum est, cum non abs re dictum sit, qui neminem habet inimicum, eum nec amicum habere quenquam; et felicitatis semper invidiam esse comitem.

Gl. Insignem felicitatem comitari solet invidia. Mediocritas tuta est; et hoc mihi perpetuum studium fuit, ne quid mei commodi ex aliorum incommodis compararem. Illam quam Græci vocant apraxian quantùm licuit amplexus sum. Nullis negotiis ingessi memet, sed præcipuè continui me ab his, quæ sine offensâ multorum suscipi non poterant. Itaque si juvandus erit amicus, sic illi benefacio ut hac de causâ nullum mihi parem inimicum. Et si

quid ortum fuerit simultatis alicunde, aut purgatione lenio, aut officiis extinguo, aut dissimulatione patior intermori: a contentione semper abstineo; quæ si inciderit, malo rei quam amicitiæ facere jacturam. In cæteris Mitionem quendam ago, nulli lædo os, arrideo omnibus; saluto ac resaluto benigniter; nullius animo repugno; nullius institutum aut factum damno: nemini me præfero: patior suum cuique pulchrum esse: quod taceri velim, nemini credo: aliorum arcana non scrutor, et si quid fortè novi, nunquam effutio. De his qui præsentes non sunt, aut taceo, aut amicè loquor ac civiliter. Magna pars simultatum inter homines nascitur ex linguæ intemperantiâ. Alienas simultates nec excito nec alo; sed ubicunque datur opportunitas, aut extinguo, aut mitigo. His rationibus hactenus vitavi invidiam, ac benevolentiam civium meorum alui.

Pa. Non sensisti gravem cælibatum?

Gl. Mihi quidem nihil accidit acerbius in vitâ unquam uxoris morte: ac vehementer optâssem illam unâ mecum consenescere, liberisque communibus frui; sed quando aliter visum est superis, judicavi sic magis expedire utrique; neque causam putavi cur me inani luctu discruciarem, præsertim cum is nihil prodesset defunctæ.

Po. Nunquamne incessit libido repetendi matrimonii præsertim cum istud tibi feliciter cessisset?

Gl. Incessit, sed liberorum causâ duxeram uxorem; liberorum causâ rursus non duxi. Tum cogita quantas habeat commoditates cælibatus. Quidam omni ex re decerpunt si quid est incommodi: qualis fuisse videtur Crates ille cujus titulo fertur epigramma, vitæ mala colligens. Nimirum his placet illud, optimum non nasci. Mihi magis arridet Metrodorus, undequaque decerpens si quid inest boni; sic enim fit vita dulcior; et ego sic, induxi animum ut nihil vehementer vel oderim, vel expetam. Ita fit, ut si quid obtingat boni, non efferar aut insolescam; si quid decedat, non admodum crucier.

Pa. Næ tu philosophus es vel ipso Thalete sapientior, si quidem istud potes.

Gl. Si quid ægritudinis obortum est animo, ut multa fert hujusmodi vita mortalium, protinus ejicio ex animo, sive sit ira ex offensâ, sive quid aliud indignè factum.

Po. At sunt quædam injuriæ, quæ vel placidissimo moveant stomachum: tales sunt frequenter et famulorum offensæ.

Gl. Nihil ego patior residere in animo meo: si mederi queam, medeor; sin minùs, sic cogito: quid proderit me ringi, re nihilò meliùs habiturâ? Quid multis? Patior ut hoc mox impetret a me ratio, quod paulò post tempus esset impetraturum. Certè nullus est tantus animi dolor quem patiar mecum ire cubitum.

Eu. Nihil mirum si tu non senescis, qui tali sis animo.

Gl. Atque adeò ne quid reticeam apud amicos, cum primis cavi ne quid flagitii committerem quod vel mihi vel liberis meis probro esse posset; nihil enim irrequietius animo sibi male conscio. Quòd si quid culpæ admissum est, non eo cubitum priùs, quàm me Deo reconciliâro. Veræ tranquillitatis fons est benè convenire cum Deo; nam qui sic vivunt, his nec homines magnopere nocere possunt.

Eu. Num quando te cruciat metus mortis?

Gl. Nihilò magis quàm macerat dies nativitatis. Scio moriendum; ista solicitudo fortassis adimat mihi aliquot vitæ dies, certè nihil posset adjicere; itaque totam hanc curam superis committo. Ipse nihil aliud curo, quàm ut benè suaviterque vivam; non potest autem suaviter, nisi qui benè.

Po. At ego senescerem tædio, si tot annos degerem in eâdem urbe, etiamsi Romæ contingat vivere.

Gl. Habet quidem loci mutatio voluptatis nonnihil; longinquæ verò peregrinationes ut prudentiam addunt fortassis, ita plurimum habent periculorum. Mihi videor tutiùs totum orbem obire in tabulâ geographicâ, neque paulò plus videre in historiis, quàm si viginti totos annos, ad Ulyssis exemplum, per omnes terras mariaque volitarem. Habeo prædiolum, quod abest ab urbe non plus quàm duobus millibus passuum; ibi nonnunquam ex urbano fio rusticus; atque ibi recreatus, redeo novus hospes in urbem; nec aliter saluto ac salutor quàm si renavigâssem ex insulis nuper inventis.

Eu. Non adjuvas valetudinem pharmacis?

Gl. Nihil mihi rei cum medicis. Nec incidi venam

unquam, nec devoravi catapotia, nec hausi potiones. Si quid oboritur lassitudinis, moderatione victûs, aut rusticatione propello malum.

Eu. Nihilne tibi cum studiis?

Gl. Est; nam in his est præcipua vitæ oblectatio; verùm his oblecto me, non macero. Siquidem vel ad voluptatem studeo vel ad utilitatem vitæ, non autem ad ostentationem. A cibo sumpto aut pascor literatis fabulis, aut lectorem adhibeo; nec unquam incumbo libris ultra horam; tum surgo, et arreptâ testudine, paulisper obambulans in cubiculo, vel cantillo, vel repeto mecum quid legerim; et si in promptu est congerro, refero; mox ad librum redeo.

Eu. Dic mihi bonâ fide, nullane sentis incommoda senectutis, quæ feruntur esse plurima?

Gl. Somnus aliquantò deterior est, nec perinde tenax memoria nisi si quid infixero. Liberavi fidem meam, exposui vobis magicas artes meas, quibus alo juventutem meam; nunc referat nobis pari fide Polygamus, unde tantum collegerit senii.

Po. Equidem nihil celabo tam fidos sodales.

Eu. Narrabis etiam tacituris.

Po. Cum agerem Lutetiæ, quàm non abhorruerim ab Epicuro, nôstis ipsi.

Eu. Sanè meminimus, sed arbitrabamur, te mores eos unâ cum adolescentiâ Lutetiæ relicturum.

Po. Ex multis quas illic adamâram, unam mecum abduxi domum.

Eu. In ædes paternas?

Po. Rectâ; sed mentitus eam esse conjugem cujusdam amici mei, qui mox esset venturus.

Gl. Id credidit pater?

Po. Imò rem olfecit intra quatriduum. Mox sæva jurgia; nec tamen interim temperabam a conviviis, ab aleâ, cæterisque malis artibus. Quid multis? Cum pater non faceret objurgandi finem, negans se tales gallinas alere velle domi, ac subinde minitans abdicationem, verti solum, et cum gallinâ meâ gallus aliò demigravi; ea mihi genuit aliquot pullos.

Pa. Unde res suppetebat?

Po. Nonnihil furtim dabat mater, ac præterea conflatum est æris alieni plus satis.

Eu. Reperiebantur tam fatui, ut tibi crederent?

Po. Sunt qui nullis credant libentiùs.

Pa. Quid tandem?

Po. Tandem ubi pater seriò pararet abdicationem, intercesserunt amici ac bellum hoc his legibus composuerunt ut nostratem uxorem ducerem.

Eu. Ergo nunc habes uxorem?

Po. Non nisi præter hanc octavam.

Eu. Octavam! Non sine augurio dictus es Polygamus; non tædet polygamiæ?

Po. Adeò tædet, ut si hæc octava moreretur hodie, perendie ducerem nonam.

Eu. Sed quis alit familiam?

Po. Ex obitu parentum accessit res mediocris, et gnaviter laboratur manibus.

Eu. Descivisti igitur a literis?

Po. Planè ab equis, quod aiunt, ad asinos; ex heptatechno factus monotechnus faber.

Eu. Miser! toties tibi ferendus erat luctus, toties cœlibatus?

Po. Nunquam vixi cœlebs ultra dies decem, semperque nova nupta veterem luctum expulit. Habetis bonâ fide vitæ meæ summam; atque utinam Pampirus narret nobis suæ quoque vitæ fabulam, qui satis bellè portat ætatem; nam, ni fallor, me duobus aut tribus annis est grandior.

Pa. Dicam equidem, si vobis audire vacat tale somnium.

Eu. Imò volupe fuerit audire.

Pa. Ubi domum rediissem, statim pater senex urgere cœpit ut aliquod vitæ genus amplecterer unde nonnihil quæstus accederet rei familiari; ac, post longam consultationem, placuit negotiatio.

Po. Miror hoc vitæ genus arrisisse potissimùm.

Pa. Eram naturâ sitiens cognoscendi res novas, varias regiones, urbes, linguas, ac mores hominum. Ad id maximè videbatur apposita negotiatio: quibus ex rebus nascitur et prudentia.

Po. Sed misera, videlicet quæ plerumque magnis malis sit illis emenda.

Pa. Sic est. Itaque pater numeravit sortem satis amplam, ut dextro Hercule, ac benè fortunante Mercurio negotiationem auspicarer; simulque ambiebatur uxor cum amplissimâ dote sed eâ formâ quæ vel indotatam commendare poterat.

Eu. Successit?

Pa. Imò, priusquam redirem domum, periit et sors et usura.

Eu. Naufragio fortassis.

Pa. Planè naufragio, nam impegimus in scopulum quâvis Maleâ periculosiorem.

Eu. In quo mari occurrit iste scopulus? aut quod habet nomen?

Pa. Mare non possum dicere; sed scopulus plurimorum infamis exitiis, Latinè dicitur alea; quo modo vos Græci nominetis, nescio.

Eu. O te stultum!

Pa. Imò stultior pater qui tantam summam crederet adolescenti.

Gl. Quid deinde factum est?

Pa. Nihil actum; sed cœpi cogitare de suspendio.

Gl. Adeòn' erat pater implacabilis? Nam res sarciri potest et venia datur ubique protopiro; multò magis Pampiro debebatur.

Pa. Verum fortasse narras sed interim miser excidi ab uxore; nam parentes puellæ, simul atque cognoverunt hæc auspicia, renunciârunt affinitatem; et amabam ut qui perditissimè.

Gl. Miseret me tui; sed quid interim consilii tentatum est?

Pa. Id quod solet in rebus desperatis; pater abdicabat, perierat res, perierat uxor, undique audiebam, gurges, nepos, helluo. Quid plura? Seriò mecum deliberabam an suspenderem me, an aliquò conjicerem memet in monasterium.

Eu. Crudele consilium; scio utrum elegeris, mitius mortis genus.

Pa. Imò quod mihi tunc visum est crudelius, adeò mihi displicebam totus.

Gl. Atqui complures eò se dejiciunt ut suaviùs vivant.

Pa. Corraso viaticulo, furtim me subduxi procul a patriâ.

Gl. Quò tandem?

Pa. In Hiberniam. Illic factus sum canonicus ex horum genere qui extimè linei sunt, intimè lanei.

Gl. Apud Hibernos igitur hybernâsti?

Pa. Non; sed duos menses apud hos versatus, navigavi in Scotiam.

Gl. Quid te offendit apud illos?

Pa. Nihil, nisi quòd institutum illud mihi videbatur mitius quàm pro meritis ejus, qui non uno suspendio dignus erat.

Eu. Quid in Scotiâ designatum est?

Pa. Illic ex lineo factus sum pelliceus apud Carthusios.

Eu. Homines planè mundo mortuos.

Pa. Ita mihi visum est, cum audirem illos canentes.

Gl. Quid! canunt etiam mortui? Quot menses apud illos egisti Scotus?

Pa. Propemodum sex.

Gl. O constantiam!

Eu. Quid illic offendit?

Pa. Quia mihi visa est vita segnis ac delicata; deinde multos illic reperi non admodum sani cerebri, ob solitudinem, ut arbitror. Mihi parùm erat cerebri, verebar ne totum periret.

Po. Quò deinde devolâsti?

Pa. In Galliam. Illic reperi quosdam totos pullatos, ex instituto divi Benedicti, qui colore vestis testantur se lugere in hoc mundo; et inter hos qui pro summâ veste cilicium ferrent reti simile.

Gl. O gravem corporis macerationem!

Pa. Hîc egi menses undecim.

Eu. Quid obstitit, quò minùs illic maneres perpetuò?

Pa. Quia plus illic reperi cæremoniarum quàm veræ pietatis. Præterea audieram esse quosdam his multò sanctiores, quos Bernardus ad severiorem disciplinam revocâsset, pullâ veste mutatâ in candidam: apud hos vixi menses decem.

Eu. Hîc quid offendebat?

Pa. Nihil admodum; nam hos reperi sat commodos sodales; sed movebat me Græcorum proverbium, *Oportet edere testudines, aut non edere;* itaque decretum erat aut non esse monachum, aut insigniter esse monachum. Acceperam esse quosdam Brigidenses, homines planè cœlestes; ad hos me contuli.

Eu. Quot menses illic egisti?

Pa. Biduum, nec id sanè totum.

Gl. Usque adeò placuit hoc vitæ genus?

Pa. Non recipiunt nisi qui mox obstringat se professioni. At ego nondum adeò insaniebam ut facilè me præberem capistro, quod nunquam liceret excutere; et quoties audiebam canentes virgines, cruciabat animum uxor erepta.

Gl. Quid deinde?

Pa. Ardebat animus amore sanctimoniæ, nec usquam satisfiebat animo meo. Tandem obambulans incidi in quosdam præferentes crucem. Hoc signum mihi protinus arrisit, sed remorabatur electionem varietas. Alii gestabant albam, alii rubram, alii viridem, alii versicolorem, alii simplicem, alii duplicem, nonnulli quadruplicem, alii aliâ atque aliâ figurâ variatam. Ego, ne quid intentatum relinquerem omnes fermè formas gessi; verùm ipsâ re comperi, longe aliud esse circumferre crucem in pallio seu tunicâ, quàm in corde. Tandem fessus inquirendo, sic mecum cogitabam, ut semel omnem sanctimoniam assequar, petam terram sanctam ac redibo domum sanctimoniâ onustus.

Po. Num eò profectus es?

Pa. Maximè.

Po. Unde suppetebat viaticum?

Pa. Demiror istud nunc denique tibi venire in mentem ut rogares, ac non multò ante percunctatum fuisse. Sed nôsti proverbium, *quævis terra alit artificem.*

Gl. Quam artem circumferebas?

Pa. Chiromanticam.

Gl. Ubi eam didiceras?

Pa. Quid refert?

Gl. Quo præceptore?

Pa. Eo qui nihil non docet, ventre. Prædicebam præterita, futura, præsentia.

Gl. Et sciebas?

Pa. Nihil minùs; sed divinabam audacter, idque tutò, videlicet, priùs accepto pretio.

Po. An ars tam ridicula poterat alere te?

Pa. Poterat, et quidem cum duobus famulis; tantum est ubique fatuorum et fatuarum. Attamen cum Hierosolymam adirem, addideram me in comitatum cujusdam magnatis, prædivitis, qui, natus annos septuaginta, negabat se æquo animo moriturum nisi priùs adîsset Hierosolymam.

Eu. Ac domi reliquerat uxorem.

Pa. Atque etiam liberos sex.

Eu. O senem impiè pium. Atque illinc redîsti sanctus.

Pa. Vis verum fatear? Aliquantò deterior quam iveram.

Eu. Sic, ut audio, excussus est religionis amor.

Pa. Imò magis incanduit. Itaque reversus in Italiam, addixi me militiæ.

Eu. Itane religionem venabaris in bello? quo quid esse potest sceleratius?

Pa. Erat sancta militia.

Eu. Fortassis in Turcas.

Pa. Imò, sanctius quiddam ut tum quidam prædicabant.

Eu. Quidnam?

Pa. Julius secundus belligerabatur adversus Gallos. Porro, militiam mihi commendabat etiam multarum rerum experientia.

Eu. Multarum, sed malarum.

Pa. Ita post comperi. Et tamen hîc duriùs vixi quam in monasteriis.

Eu. Quid tum postea?

Pa. Jam mihi vacillare cœpit animus, utrùm ad negotiationem intermissam redirem an religionem fugientem persequerer. Interim venit in mentem utrumque alteri posse conjungi.

Eu. Quid? ut simul esses et negotiator et monachus.

Pa. Quid ni? Nihil religiosius ordinibus Mendicantium; et tamen nihil similius negotiationi; volitant per omnes terras ac maria; multa vident, multa audiunt, penetrant omneis domos, plebeiorum, nobilium, atque regum.

Eu. At non cauponantur.

Pa. Sæpe nobis feliciùs.

Eu. Quod genus ex his delegisti ?

Pa. Omnes formas expertus sum.

Eu. Nulla placuit ?

Pa. Imò, perplacuerant omnes si licuisset statim negotiari. Verum perpendebam mihi diu sudandum in choro, priusquam crederetur mihi negotiatio. Jamque cogitare cœpi de venandâ abbatiâ. Sed primùm non omnibus hîc favet Delia, et sæpe longa est venatio. Itaque consumptis hunc in modum annis octo, cum esset nuntiata mors patris, domum reversus, ex consilio matris duxi uxorem, et ad veterem negotiationem redii.

